


XXX
WAGENS.
1636











XXX
WAGENS

DISPUTATIO JURIS PUBLICI
Exhibens
CATALOGUM IMPERATORUM
Qui post Francicos, ad Interregnum usq; Imperio Germanico præfuerunt.

Eam

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPHORO WAGENSEILIO,

J. U. D. & Jur. Publ. ac Linguar. Oriental. Profess. Publ.



Defendet

PAULUS BERNBERG, Hamburgensis.

Ante diem XV. MartI, Anni M.DC.LXXVI.

H. L. Q. C.

ALTDORFFI
Typis Johannis Henrici Schönnerstædt.



FELICITER!

I.

DIximus in ea, quæ proxime præcessit Dissertatione, de Francicis Imperatoribus, hoc est, Carolo M. ejusque Successoribus posteris, qui Seculo post Christum natum IX. rebus in Germania Imperioque præfuerunt. Quamobrem consequens est, ut ad alios porro progrediamur, atque quemadmodum cœpimus, horum quoque gesta, breviter, & τυπωδῶς, crassiore velut Minerva, indicemus potius, quam persequamur. Quippe, istarum rerum uberiorem cognitionem, Prudentiæ Publici Juris Auditorem, ex coævis Historiarum Scriptoribus (ceu, priusquam nos accedat, fieri, non opus tantum, sed & necesse est) addidicisse confidimus, ut nihil ultra requiratur, quam κατὰ κεφάλαια narrationem instituere, quo, olim lecta & meditata, redeant in memoriam.

II.

Igitur, occasione deficientis in Orientali regno stirpis Carolinæ, magnæ discordiæ & æmulationes, Italorum, Gallorum, & Germanorum coortæ sunt. Tandem vero, *Ottoni*, Saxoniæ Duci, Germani Proceres, magno consensu, rerum summam deferunt, verum, is facile animadvertens, sine ingenti motu, jus regni in novam familiam transire non posse, ætatem causatus, CONRADUM Fran-

eorum Ducem, patre, prout testatior memoria habet, eognomine, *Conrado, Franconiæ Duce*, quem *Adelbertus* Bambergensis, prælio apud Frideslariam interemerat, genitum, veluti tantæ moli parem, demonstravit. Huic suffragationi, cum *Hattonis* quoque Moguntini accessisset autoritas, Regnum Germanicum Conradus adeptus est. Eam rem, iniquiore animo ferebant, *Giselbertus* Dux Lotharingiæ, *Arnulphus* Dux Bavariæ, *Erchinger* & *Berchtoldus* Sueviæ sive Alemanniæ Rectores, quare adversus Conradum insurgunt, *Carolum Simplicem*, tanquam justũ Imperii hæredem, ex Galliis & Occidentali Francia arcessendũ esse, contendentes; iisque, post Ottonis Saxoniæ Ducis obitum, ejus filius *Henricus*, prior tamen, gravi, uti volunt, injuria a Conrado lacessitus, se quoque adjunxerat. Sed, eos omnes oppressit Conradus, partim vi, partim consilio & prudentia. Fuit enim Princeps strenuus, & usu exercitatus; unde Arnulphum Bavaria exuit, Erchingerum & Berchtoldum fratres, securi etiam subjecit. Interim, his turbis implicitus Conradus, de vindicanda sibi Italia, & asserenda in ea dignitate Cæsarea, non poterat esse solicitus, atque constat insuper, circa hæc tempora, *Berengarium*, qui Italiæ regno solus potiebatur, a *Johanne X.* Pontifice Imperatorem fuisse declaratum. Fato proximus Conradus, egregium moderationis exemplum edidit, quando neglecto fratre Eberhardo, Henricum Saxonem adversarium, transmissis ad eum regni insignibus, regalibusque ornamentis, designavit Successorem. Uxor ei fuerat *Placentia*, *Ludovici Germanici* Senioris, aut, ut alii volunt, *Junioris*, filia, ex qua liberos nullos suscepit, mortuusque est anno 7. administratæ potestatis. De vitæ illius duratione, silent Scriptores.

III.

Habuit Conradi morituri commendatio, magnum

apud

apud Imperii Proceres pondus, proindeque HENRICUS cui Aucupia, (sive, quod Juvenis iis valde caperetur, sive, quod in illis occupabatur, cum perventuri ad se Imperii nuncium & insignia prope Goslariam acciperet,) *Aucupis* cognomen dederunt, ad Regimen Germanicæ nationis evectus est, qui, *Ottone* Saxoniæ Duce, *Witekindi Magni* abnepote, patre, *Luitgarda* vero, (quam alii *Hedvvigem* vocant) *Arnulphi* Imperatoris filia, matre, fuerat prognatus. Ei, animi magnitudinis, roboris, pietatis, moderationis, atq; prudentiæ laudem, Scriptores magna concordia tribuunt, nec de fide dictorum dubitare nos sinunt, res insigniter ab eo gestæ. Etenim, *Arnulphum* Bavariæ Ducem, qui audita Conradi morte, ex Ungarico exilio domum reversus fuerat, & Regis nomen assumserat, gravi oratione ad obsequiũ flexit: *Burchardum* Sueviæ Ducem, etiam supplicem fieri coëgit. A Gallo repetiit *Lotharingiam*; contra *Vandalos* & *Sorabos* exercitum duxit, iisque domitis, totum illum tractum præfecturis limitaneis, quas *Marchias* vocamus, distinxit, itaque, *Marchia Brandenburgensis*, *Schlesvvicensis*, & *Misnensis* sive *Lusatica*, hunc habent autorem. Porro, *Wenceslaum*, Bohemorum Principem, ad pacem coëgit, *Vormio* Danorum, tributum insuper imperavit. Imprimis vero memorabile est bellum adversus *Hungaros* gestum. Cum enim hi tributa exigentes, nihil nisi canem villaticum, scabiosum, & tonsum, per ludibrium retulissent, ipsi furibundi, *Slavorum* ingentibus copiis sibi junctis, cum trecentorum millium exercitu, Germaniam populari cœperunt. Sed vero, Henricus iis occurrit ad *Mersburgum*, illosque ad internecionem prope delet. Reliquiæ, naribus, auribus, manibusque amputatis, domum ire, & popularibus nunciare jussæ sunt, de cætero domi se continerent, aliena non appeterent, neque ad ea loca, ubi hujusmodi eos tributa maneant,

 porro

porro accedant. Ajunt quidam, Henricum in hujus victoriæ memoriam, instituisse *Ludos Equestres*, quos *Torneamenta* vocant, etsi contra alii merito dissentiunt. Germania pacata, cum iter in Italiam meditaretur Henricus, paralysi extinctus est, anno imperii 17. ætatis vero 60. cum prius *Ottonem* filium, successorem designasset, quem ei una cum *Henrico*, Bavariæ postea Duce, & *Brunone*, Coloniensium deinde Præsule, ac quinque filiabus, *Mechtildis*, Ringelheimensis Comitis filia peperit.

IV.

OTTO I. moribus, rebus gestis, fortuna, cognomentum *Magni*, omni ex parte implevit. Fuit enim Princeps magnanimus, pius, prudens, justus, clemens, & manu strenuus. Scilicet, *Tanquardum* fratrẽ nothum, & *Henricum*, germanum fratrem rebelles, una cum conspirationis sociis, *Eberhardo* Duce Franconiæ, & *Giselberto* Lotharingiæ Duce, sororio suo, oppressit; Henrico tamen supplici pepercit, ac Bavariam donavit. Porro, *Ludolphum* filium, insidiatorem, bello persecutus, ad veniam petendam coëgit *Boleslaum* Bohemiæ Principem, *Haraldum* Daniæ Regem, domitos, vasallos fecit, inque Dania Christianam religionem feliciter propagavit, quod idem circa Slavorum quoque gentem præstitit. Adhæc, *Ludovicum Transmarinum* Galliæ Regem, adversus *Hugonem* Parisiorum Comitem defendit, regnoque restituit. *Hungaros*, Germaniam vastantes, ingenti prælio ad Lycum amnem vicit, & tres eorum Regulos captos, laqueo peremit. In Italia, *Berengarium* II. Longobardorum Ducem, compescuit, iterumq; rebellantem, victum, cum uxore *Willa*, Bambergam exulatum ire jussit. In secunda hac Italica expeditione, Otto Romam venit, ibique a Romanis, per manus *Johannis XII.*

Ponti-

Pontificis, Cæſareū nomen & diadema ſuſcepit; & cum his, Imperium in urbem Romam, in Papam, in patrimonium Eccleſiæ Romanæ. Illud jus, a *Leone VIII.* (quem, Johanne XII. quod cum *Adelberto* Berengarii filio adverſus ſe conjuraſſet, depoſito, in locum ſurrogaverat Imperator) mox in perpetuum Germaniæ & Imperatoribus Germanicis ita ſtabilitum eſt, ut ad jura illa Cæſarea exercenda, nullam impoſterum Pontificis autoritatem aut coronationem neceſſariam eſſe, ſed electionem aut ſucceſſionem ad ea conferenda ſufficere, in Synodo decretum fuerit. Leone defuncto, huic *Johannem XIII.* ſuccedere Otto voluit, quem, cum Romani male tractarent, & *Benedictum* quendam creaſſent Pontificem, Imperator eorum perfidia graviter offenſus, urbe capta, Conſules proſcripſit, Decuriones ſuſpendio necavit, Benedictum in Germaniam ad *Adaldagum*, Hamburgenſem Epiſcopum, exulem ire coëgit. Denique, idem Græcis, ob Legatos ſuos contumelioſe habitos, *Calabriam* & *Apuliam* (pro qua poſtrema voce, dubio procul in Cl. Ruperti noſtri Notis ad Synopſin Beſoldi p. 650. *Græciam* vitioſe editum habetur) ademit. Mortuus eſt A. C. 973. cum annos 37. imperaſſet, eique *Editta*, *Edmondi* Angliæ Regis filia, & *Adelheidis*, Lotharii Regis Italiæ vidua, nupſerunt.

V.

OTTO II. Ottonis M. ex Adelheide filius, a patre vivo, conſors Imperii factus eſt, qui, illum quoque Romæ A. 968. coronari curavit. Hujus res geſtæ præcipuæ fuerunt, quod *Henricum Bavarum* patruelem, Imperium ſibi vindicantem, oppugnavit, proſcripſitque; & Bavariam ereptam, *Ottoni*, Sueviæ Duci, Ludolphi Fratris filio, tribuit. Quod *Danos* rebelles, rurſus Imperii jugo ſubdidit. Quod *Lotharingiam*, a Lothario Galliæ Rege ereptam, Germaniæ iterum co-

rum co-

rum copulavit: cumque Lotharius eum Aquisgrani pæne oppressisset, injuriam hanc, ad Lutetiam usque infesto exercitu excurrendo, vindicavit. A *Græcis*, Saracenorum auxilio, Calabriam & Apuliam repetentibus, Italorum proditione, ad Basantellum turpiter victus, captusque, persoluto modico lytro, & beneficio Græcæ linguæ, mercatorem se gerens, evasit, atque deinde de Principibus Italis, convivio lethali eos in Vaticano excipiens, perfidiæ pœnas sumsit, tulitque ex ea re titulum, *Ottonis Sanguinarii*. Periit paulo post, a Saracenis sagitta venenata percussus; aut, ceu aliis proditum est, ventris profluvio, Romæ A. C. 983. postquam solus ab obitu Patris 9. (mendose iterum in Ruperti nostri Historia 19. expressum est) annos, & menses 7. imperaverat.

VI.

OTTO III. Ottone II. Imperatore, & *Theophania* Nicephori Constantinopolitani Imperatoris privigna, parentibus progenitus, *Miraculosus*, & *Mirabilia Mundi*, cognominatus fuit. Eum, vix annos undecim natum, *Willigisus*, Moguntinus Præsul, Aquisgrani, & post triennium, *Gregorius V.* Papa, Romæ inaugurarunt. Hujus postremæ urbis dominium, cum *Crescentius* Consul affectasset, illum Imperator asino facie aversa impositum circumduci, naso dein & auribus mutilatum, ac multis confossum vulneribus, una cum aliis duodecim seditionis sociis, patibulo affigi jussit. Amplius *Johannem*, adulterinum Pontificem, a Crescentio intrusum, primum oculis, mox vita privavit, & *Brunonem*, Ottonis Sueviæ Ducis filium, *Gregorium V.* dictum, Pontificatui restituit, ac post hujus obitum, *Gerebertum*, sive *Sylvestrum II.* successorem fecit. Porro, *Mariam Arragoniam* Augustam, fœminam pro-

cacissimam, Imperator vivam combussit, quoniam illius calumniis persuasus, *Comitem Mutinensem* insontem (innocentiam hanc, vidua Comitis, per laminam candentem comprobante) securi percusserat. Ab Italis denuo rebellantibus fere extinctus fuisset, quod periculum, postquã suorum fide ac industria vix evaserat, venenatis chirothecis ab uxore Crescentii missis, anno 29. ætatis, & 19. administrati Imperii, periit, nulla relicta prole. Vulgo, hunc Imperatorem, Augustissimum *Electorale Collegium*, non sine Papæ *Gregorii V.* consilio, instituisse perhibent, quæ tamen opinio vehementer a vero abludit.

VII.

HENRICUS, *Henrici Hezelonis* filius, *Henrici Rixosi* nepos (quæ generis series, in Ruperti nostri Historia, depravate ac corrupte transposita, sic restituenda est) *Henrici Aucupis*, Germaniæ Regis pronepos, qui discriminis causa, *Secundus*, item *Claudus*, & *Sanctus* dicitur, Ottoni III. Statuum electione successit. Is, *Arduinum* Marchionem, qui in Lombardia pro Rege se gerebat, & a quo primùm in fugã conjectus fuerat, vicit, & omni potentia exuit, sicque initio Ticini, a Mediolanensi Archiepiscopo, Rex Italiæ, & ex interjecto tempore, Romæ deinde, a *Benedicto VIII.* solemni cæremonia Imperator coronatus est. Amplius, *Boleslaum* Poloniæ Regem, bello fractum, ad petendam pacem adegit Henricus, *Jaromirum* Bohemum, Principatu & libertate exuit; *Balduinum* Comitem Flandriæ, Lotharingiam Godofredo donatam raptantem, compescuit: *Græcos* & *Saracenos* ex Apulia & Calabria ejecit, illasq; regiones *Normannis* incolendas ac defendendas concessit. *Rinoldo* Comite Bambergense, sine mascula prole mortuo, *Bambergensem Episcopatum* constituit, & Pontifici *Benedicto*

 VIII. qui

VIII. qui illius consecrandi gratia Alpes transcenderat, ejusque Successoribus, in singulos annos equum album & centenas marcas argenti promisit. Quibus ita præstitis, lectoque Conrado Franconiæ Duce successore, mortuus est Imperator A. C. 1024. Imperii 22. *Kunegunde* uxore, *Sigefridi* Palatini filia, virgine relicta: ob quam continentiam *Sanctus*, ob affectum vero erga Clericos, *Monachorum Pater* appellatus fuit.

VIII.

CONRADUS II. *Salicus*, Henrici Franconiæ Ducis ex *Adela* Gerardi Metensium Comitis gnata, filius, in Italiam rebellem contendit, & Mediolani ab Archiepiscopo *Ereberto*, Romæ, a *Johanne XIX.* diademata admisit. *Burgundiæ* Regnum, a *Rudolpho*, filio suo *Henrico* legatum, frustra resistente *Odone* Celticæ Comite, sororio Rudolphi, Imperio adjunxit. *Bohemos* & *Polonos* felici bello compescuit. *Stephanum* Regem Hungariæ, qui Bavariæ inhiabat, debellavit. Dehinc, prope Trajectum, Belgii urbem, subita morte A. 1032. fato functus est, cujus cadaver Spiram in templum S. Mariæ, quod ipse magnifice condere cœperat, fuit translatum. Imperavit annos 15. & in conjugio habuit *Giselam*, Hermanni Sueviæ Ducis filiam, cum qua Henricum III. successorem procreavit.

IX.

HENRICUS III. a crinium colore *Niger* dictus, puer duodecennis, vivo patre Rex Romanorum declaratus fuit, cumque postea *Clemens II.* Pontifex coronavit. Is, *Bretislaum* Bohemorum Ducem bello coërcuit, & tributum annuum pendere coëgit. *Abanum*, (*Ovonem* aliis dictum) qui *Petro* pulso, Hungariæ Regnum usurpaverat, tribus præliis vicit,

vicit, regno exuit, & Petrum restituit. Austriam, *Alberto* Bavaro donavit, ac primum *Marchionem Austriæ* fecit. *Godofredum* Lotharingum, qui, inito fœdere cum *Balduino* Flandriæ Comite, arma corripuerat, carceri mancipavit. Ob tumultus trium Pontificum, qui Romam mire turbabant, illuc profectus, *Benedicto IX. Sylvestro III.* ac *Gregorio V.* depositis, *Suitgerum* Bambergensem Episcopum, cui *Clementis II.* nomen impositum, substituit: Romanos vero conceptis verbis jusjurandum dare coëgit, nullum sese amplius Pontificem citra Imperatorium consensum creaturos. Unde Henricus porro secundum ordinem successionis *Damasum II.* natione Bavarum, quem quidam Brixiensem, alii Aquilejensem, rursus alii Frisingensem Episcopum fuisse perhibent, *Leonem IX.* Tullensem Episcopum, ex Dagsburgensibus Comitibus, & *Victorem II.* quoque Eichstettensem Episcopum, cognatum suum, in Sedem Pontificiam evexit. Mortuus est Henricus A. 1056. cum vixisset 39. imperasset 17. annos, mœrore animi, ob expeditionem infeliciter adversus Vandalos susceptam: cumque eo simul potentia & majestas Germanicorum Cæsarum, quam adversus Pontifices hactenus utcunque salvam conservaverant, concidit. Uxores duas habuit, unam *Gunildam*, Canuti Danorum & Anglorum Regis filiam, qua sine liberis mortua, aut, ceu quibusdam placet, ob adulterii suspicionem repudiata, duxit alteram, *Agnetem*, Wilhelmi Pictaviensium Comitis filiam, e qua præter Henricum IV. filias tres insuper suscepit.

X.

Henrico III. e vivis sublato HENRICUS IV. filius, puer adhuc sexennis, & cui pater vivus de successione prospexerat, fuit surrogatus. Qui, cum ob teneram ætatem, tantæ moli impar esset, *Agnes* mater, fœmina prudentissima,

 vices

vices ejus tamdiu peregit, donec Statibus Germaniæ, mulieris imperium aversantibus, ipse Henricus anno ætatis 14. habenas Imperii tractare cœpit. Multa, & gravissima bella gessit, in quæ plerumque malitia Pontificum fuit conjectus, qui id unice sategebant, ut Sedis Romanæ dignitatem autoritatemque vindicarent. Hinc *Saxones* ad rebellionem concitati, *Anti-Cæsares* multi creati, & nihil non in detrimentum Imperii, & incrementum Sedis Romanæ tentatum ac susceptum est. Sic *Rudolphus Suevus*, & *Hermannus Luzelburgicus*, a *Gregorio VII. Conradus*, Henrici primogenitus, ab *Urbano II.* Augusti appellati, & in Henricum, novo, nec audito prius inter Germanos Imperatores exemplo, diris omnibus devotum, concitati sunt; quorum impetum tamen fortissimus Imperator mascule sustinuit, &, ut potuit, repressit. Aliquando tamen cedere coactus fuit, estque, etsi fœdum, memorabile tamen dictu, quod a Gregorio VII. Hildebrando, excommunicatus, Pontificem illum, apud *Mathilden* in Canusina arce morantem, supplex & humilis deprecator adivit, & ægre, nec nisi intercedentibus Italiæ Principibus admissus, duriter ac contumeliose tractatus est. Quippe, cum regio deposito cultu, sine comite, intra secundum murorum ambitum, nudis pedibus, sæviente hyeme, a mane usque ad vesperam jejunus, per universum triduum sententiam Pontificis præstolatus fuisset, quarto demum die receptus, truci tetricoque Hildebrandi vultu, his conditionibus ab anathemate absolvebatur, ut evocatis ad Comitia Principibus Teutonicis, die locoque quem Papa præfixisset, ad ejus arbitrium, vel retineat regnum, vel amittat, interea temporis nihil pro Rege agat, cultuque omni regio abstineat. Ad ultimum, plane Paparum insidiis & machinationibus Henricus succubit, quando *Paschalis II. Henricum* filium, natu mi-

tu mi-

tu minorem, in eum concitavit, a quo infelix Pater, per tres Episcopos. Moguntinum, Coloniensem, & Vormatiensem imperio violenter exutus, atque ad eam egestatem redactus est, ut a Vormatiensi Episcopo Ecclesiasticam præbendam flebiliter petierit, nec tamen impetraverit. Obiit tandem ex mœrore Leodii A. C. 1106. regnavitque annos 50. nec vel post mortem rabiem Pontificum effugere potuit, quinque annis sepultura prohibitus. Conjuges habuit *Bertam* & *Praxedem*.

XI.

HENRICUS V. imperium, quod per injuriam sibi paraverat, parum lætum habuit, ab illis ipsis etiam, quibus gratificatus fuerat, vehementer divexatus. Non enim tantum contra Polonos, quibus *Boleslaus*, & contra Saxones, quibus *Lotharius* præerant, infelicissime rem gessit; verum a *Paschale II.* & *Gelasio II.* quoque, quod jure suo, hoc est Episcoporum investitura cedere nollet, excommunicatus fuit. Equidem restitit Henricus, & Gelasium Papam, Pontificatu dejectum urbe expulit, *Mauritio Burdino* Hispano, Braccarensi Episcopo, in locum surrogato, sed nihil promovit. Nam *Calixtus II.* a Romanis electus Pontifex, Burdinum, qui *Gregorius VIII.* audire voluit, pelle ursi contectum, camelo averso, cujus caudam pro fræno tenebat, imposuit, & per ludibrium sic circumductum, in Cassinense cœnobium relegavit. Ipse adeo Imperator, a Calixto coactus A. C. 1122. in Comitiis Würtzburgensibus Episcoporum Abbatumque designationi, & per baculum annulumq; investituræ renunciavit, æterno cum Majestatis Imperatoriæ dedecore pariter ac detrimento: nec aliud ei relictum, quam electis Episcopis per Sceptrum Regalia conferendi facultas. Quarto post anno, Trajectum profectus, in morbú incidit, quo extinctus est cum annis 19. imperasset, deces-

 sitque

ſicque nulla relicta prole maſcula, filiam tamen ex *Mathilde*, Henrici Angliæ Regis filia, cui maternum nomen impoſitum fuit, ſuſtulit.

XII.

Vacuum Henrici morte Germanorum Imperium, in LOTHARIUM II. qui *Gebhardo* Comite in Supplenburg genitus, Henrico V. contra Patrem adhæſerat, ab eoque navatæ operæ præmium, Saxoniam univerſam conſequutus fuerat, transfertur. Atenim huic controverſiam moverunt *Conradus* Franconiæ, & *Henricus* Sueviæ Duces, ex Henrici Sorore prognati, Imperium hæreditario quaſi jure vindicare volentes. Inter hos Conradus a ſua factione Rex creatus, redactis præcipuis Imperii urbibus in poteſtatem, ivit in Italiam, & occupata Lombardia, Mediolani ab Epiſcopo conſecratus eſt. Verum, ab *Honorio* Pontifice anathemate repulſus, in Germaniam revertitur, & abjecta ſpe Imperii, per S. Bernhardum Claravallenſem Abbatem, ipſe, fraterque, Imperatori fuerunt reconciliati. Cæterum, Lotharius bis in Italiam profectus eſt, ſemel ad compeſcendos motus, quos *Anacletus II.* Antipapa, *Innocentio II.* ejecto concitarat, deinde contra *Rogerium* Siculum, Campaniam & Apuliam injuſte poſſidentem, quem Italia expulit. In hac expeditione, reperit Imperator *Pandectarum* Juris Civilis vetus volumen, quod ipſe Piſanis, pro præſtita ſibi in hoc bello opera, donavit. Is liber, poſtea A.C. 1406. Piſis a *Gino Caponio* Florentinorum Duce in poteſtatem redactis, Florentiam translatus, etiamnum inter cimelia Medicea aſſervatur, & nomine *Pandectarum Florentinarum* eſt famoſiſſimus, atque ex eo tanquam archetypo, omnia noſtra exemplaria manaſſe, non ſine ratione Viri Eruditi conjiciunt. Lotharius victor, ex Italia rediturus in Germani-

maniam, morbo in Tridentina valle correptus A. C. 1137. Imperii vero 12. animam exhalavit, nec filium habuit superstitem. Nam *Lotharius*, quem ei præter filias duas Uxor *Richisa*, *Henrici Pinguis*, Comitis Northemii filia pepererat, infans mortuus est.

XIII.

Defuncto Lothario, certissimam Imperii potiundi spem conceperat Gener, *Henricus Superbus* Saxoniæ & Bavariæ Dux, sed, in Comitiis Confluentiæ Imperator creatur CONRADUS III. *Friderici* Sueviæ Ducis, ex *Agneta*, filia Henrici IV. Imperatoris, filius. Hinc acerrimum odium, inter Conradum & Henricum Superbum ortum, atque cum Henricus molestus esse non desineret, Conradus eum proscribit, & Saxoniam *Alberto Urso* Marchioni Brandeburgensi, Bavariam vero *Leopoldo Austriaco*, fratri uterino, concessit, unde in tantum mœrorem Henricus fuit conjectus, ut is vitæ finem illi attulerit. Leopoldum, *Guelphus* Henrici Superbi frater, Bavariæ ducatu iterum exuit, unde gravissimum bellum oriri cœpit, in quo Guelfus victus, & in arce *Weinsberg* obsessus, Matronarum viros succollantium astu æque ac pietate, gratiam Cæsaris impetravit. Ex hoc bello *Guelforum* & *Gibellinorum*, famosissimarum deinde in Italia factionum cognomina, & quorum memoria in hunc usque diem perdurat, orta esse, communis fert opinio, etsi quidam in diversa abeunt. Haud multo post *S. Bernhardi* suasu, Conradus, una cum *Ludovico Franciæ* Rege, expeditionem in Syriam suscepit, qua non tantum nihil memorabile gestum est, sed & universus exercitus, octoginta millia hominum exsuperans, perfidia *Immanuelis Comneni* Byzantini Imperatoris, consumtus fuit. Sic, nullo operæ pretio facto, in Germaniam reversus Conradus, in morbum incidit, diemque A. C. 1152. cum 14. annos Imperium ad-

um administraſſet, Bambergæ obiit ſupremum, non ſine veneni ſuſpicione. Uxorem duxerat *Gertrudem*, Comitis Sultzbachii Filiam.

XIV.

Poſt extinctum Conradum, hujus neglecto filio, filium ex fratre FRIDERICUM, Sueviæ Ducem, qui ob barbitium rufum, *Ahenobarbus*, Italis *Barbaroſſa* dictus eſt, Proceres Germaniæ magno conſenſu Imperatorem fecerunt. Hic, in Italiam profectus, ut coronam ab *Adriano IV.* Pontifice acciperet, cum equum conſcendere volenti Papæ, ſtapedam dextram pro ſiniſtra miniſtraſſet, tam male is error habuit Pontificem, ut coronationem denegaret, & vix multis precibus ad eam impertiendam induci ſe pateretur. Inde, Germaniam repetens Fridericus, in Comitiis Ratisponenſibus *Ladiſlaum* Bohemiæ Ducem, Regem creat, dato ipſi pro inſigni, Leone albo, cum cauda bifurca. Bavaros quoque & Auſtriacos diſſentientes compoſuit, atque *Henricum* Auſtriæ Marchionem, Ducali ornavit dignitate. Sequuta eſt *Mediolanenſis* rebellio, faces admovente Pontifice, cui mox muſca, quæ, in ore diducto bibentis fauces ſeſe ingeſſerat, exitium attulit. Dehinc *Alexander III* prius *Rolandus* dictus, Senenſis, & *Victor IV.* alias *Octavianus de Monticello*, de Pontificatu infeſtis animis inter ſeſe decertarunt: Fridericus vero Cæſar, poſteriorem ſua autoritate comprobat, Alexandrum vitio creatum pronuncians, urbemque Mediolanum ſolo æquat, ſumto de turbarum autoribus ſupplicio. Ibi Alexander, in Galliam profugiens, habita in Claramonte Synodo, Imperatorem cum Victore Papa anathemati devovet. Interim Romani, mortuo Victore, quia aberat Cæſar, Alexandrum revocant. Is *Venetos* adverſus Cæſarem concitat,

quibus

quibus Mediolanenses exules sese junxerunt, & urbem reparārunt. Ergo, repetit Italiam Fridericus, & urbe Roma capta, *Calixtum III.* creat Pontificem, in quo tumultu, Alexander Papa, custodibus habito nautico deceptis, Venetias evasit. Fugientem prosequutus est *Otto* Imperatoris filius, cum 75. longis navibus, cui ad Istriæ oram *Sebastianus Zani*, cum Veneta classe postquam occurrisset, Otto infeliciter pugnans, victus, & captivus Venetias perductus fuit. Fridericus, ob Filii amorem pacem fecit cum Pontifice, & Venetias profectus, absolutionem excommunicationis ab illo humiliter deprecatus est, Calixtus sua sponte Pontificatu se abdicavit. Idem Fridericus Imperator, *Henricum Leonem* Ducem Saxoniæ & Bavariæ, qui in Germania motus concitaverat, proscripsit, Saxoniâ in *Bernhardum Anhaltinum*, *Alberti Ursi* filium, Bavariâ in *Ottonem Wittelsbachium* translata. His actis, cum Germaniæ & Italiæ rebus satis consultum esse judicasset Cæsar, in Asiam adversus *Saladinum*, Ægypti Sultanum, qui magno successu in Syria bella gerebat, suscepit expeditionem, eumque feliciter repressit. Sed, quadam die, labore & æstu defatigatus, cum *Tharsi* in flumen Cydnum lavandi causa se abjecisset, alii eum vorticibus abreptum periisse, alii, ex frigore in hepatis morbum incidisse, atque ista ægritudine intra paucos dies sublatum esse, perhibent. Factum id A. C. 1190. Imperii Friderici 38. Reliquit ex Conjuge *Beatrice*, filia *Reginaldi* Comitis Vesontionis, susceptos filios quinque, *Henricum*, *Fridericum*, *Ottonem*, *Conradum*, & *Philippum*, quorum primo & postremo Imperialis obtigit dignitas.

XV.

Enim vero, hic Digressionem facere ratio flagitat, quando aurem aliquis vellere nobis videtur, percontarique: Ehem! an nihil amplius inter Cæsarem Fridericum, & Alexandrum

drum Pontificem Venetiis gestum est,& an sola illa humili (cujus mentio injecta,) deprecatione satisfactum sibi Papa censuit, nihilque gravius statuit in Imperatorem ? Atqui, sic traditum habetur, Papam, supplicibus precibus in vestibulo templi S. Marci coram sese prostrati Imperatoris, neutiquam fuisse contentũ, sed vero jacentis collum pede insuper pressisse, & addidisse illud Psalmographi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Cumque rei indignitate commotus Imperator, *Non tibi, sed Petro*, respondisset; subjecisse Pontificem: *Et mihi, & Petro.* Agnoscimus, hunc vindice dignum nodum esse, atque difficili, & prope ancipiti controversiæ, qua quidam illud vere evenisse contendunt, alii omnem rem, quod dici solet, gerris germanis, ac anilibus commentis annumerant, in utramque partem argumenta lenocinantur. Negantium id factum opinionem, præter alios copiose eruditeque in Observationibus ad Synopsin Besoldi p. *663*. seqq. defendit, uti diffusæ raræque doctrinæ, ita & Clarissimi Nominis Vir, Antecessor noster, *Christophorus Adamus Rupertus*, tantamque speciem ei conciliavit, ut nulla de veritate relicta videatur dubitandi ratio, unde multos reperit adstipulatores. Nobis tamen, si eloqui licet, quod in pectore clausum gerimus, restant aliqui scrupuli, qui nos male habent, nec assensum præbere permittunt. Proinde, malumus ἐπέχειν, ita tamen, ut non dissimulemus, nostrum, qui in dubio est, animum, fortius impelli in partem oppositam, quæ, quicquid est illius narrationis, pro vero certoque amplectitur. Id, ne temere nos, & sine causa sic dixisse quis arbitretur, nostræ hæsitationis, & a Doctissimo quondam Viro, (quem

cæte-

cæteroquin, prout de Academia noſtra, omniq; Republica Literaria meritus eſt, ſerio ſuſpicimus veneramurque) diſſenſus, momenta allegare oportet. Atque principio, præter ea teſtimonia, quæ tuendæ Hiſtoriæ iſtius cauſa, ex *Ouvone Ravennatenſe Presbytero*; *Jacobo Philippo Foreſto, Bergamenſi monacho*; *Angelo Politiano*, *Johanne Nauclero*, *Johanne Stella*, *Paulo Jovio*, *Marco Antonio Sabellico*, *Petro Juſtiniano*, *Papyrio Maſſonio*, *Funccio*, *Raphaële Volaterrano*, *Joh. Baptiſta Egnatio*, *Franciſco Sanſovino*, *Alphonſo Ciacono*, alii pridem ante nos ediderunt, & ideo repetere ſupervacuum foret, duo inſuper nobis peculiariter obſervata ſunt, a nemine Noſtratiũ, quod ſciamus, hactenus producta, & quæ, ſi non ἀναμφισβητήτως καὶ ὁμολογουμένως negotium conficiunt, (quod ea minime præſtare haud gravatim agnoſcimus,) recitari nihilo ſecius, & reliquis accenſeri merentur, ut numerum faciant. Alterum eſt Itali Poëtæ, cui *Brandimarte Franconi* nomen fuit: Is, in vernaculo carmine, quod de Hiſtoria Papæ Alexandri III. & Friderici Barbaroſſæ Imperatoris extat, inter alia, ſic cecinit:

Viene l' Imperador e'l ſuo Figliuolo,
Ed altri molti che fanno uno ſtuolo,
Il Santo Padre fece apparecchiare,
Come ſe haueſſe voluto dir Meſſa,
Una catedra, e ſi fece portare,
A la porta de San Marco, e ſopra di eſſa
Con ordine ſi miſſe ad aſpettare,
La Ceſarea Maeſtade, e che con eſſa
Veniſſe Ottone, e Federico inante
Comparſe con di ſe degno ſembiante.
Con humiltà poſcia ſi gittò in terra,

E'l Papa il piè gli porse e passò via,
E con la bocca assai parlar disserra,
Il qual rimane ne la penna mia.

Idest:

Adventat Imperator, ejusq; Filius,
Aliiq; multi, stipationem facientes.
Ibi Sanctus Pater apparare jussit,
Quasi Missam dicere vellet,
Cathedram, eoq; se deferri curat,
Ad fores S. Marci, illam
Decore conscendens, atq; sic exspectans
Cæsaream Majestatem, & ut cum ipsa
Veniret Otto. Et vero, Fridericus, primus
Comparuit, cum se digno corporis gestu.
Postea humiliter se abjecit in terram,
Papa vero pedem illi porrexit, abivitq;,
Os satis superq; ad loquendum adaperiens,
Quæ intra pennam meam remanere velim.

Alterum testimonium, Judæus homo suppeditat, quem etsi alioqui, causam orare leges non sinunt, neque testimonii dictio est, hoc tamen loco juvat illum audire. Prodeat igitur in medium *R. David Gans*, & repetat, dicta in parte secunda (quam nunquam sibi visam Seldenus haud uno loco queritur) Zemach p. 77. b.

אוטא בן הקיסר נתפש משבעכסטיאן דוכס וראש
העיר וינציאה ויוליכוהו לוניציאה אל האפיפיור
אלכסנדר והאפיפיור לא רצה לתן את בנו לפדות
לא במחיר כסף רב עד שהוצרך הקיסר לבא
לוניציאה

לוניציאה לכרוע ולפול ארצה לפני האפיפיור בבית עבודתם הנקרא מרקוס לבוז ולחרפה לעיני כל העמים ודרך והלך האפיפיור ברגליו על גב הקיסר ועל בנו ואמר על שחל ופתן תדרוך תרמס כפיר ותנין אחר זה שלחם בשלום:

Id eſt: *Otto, filius Cæſaris, captus fuit a Sebaſtiano Duce, & Principe urbis Venetæ. Deductus itaq; eſt Venetias, ad Alexandrum Papam, atq; Papa noluit Imperatori copiam redimendi filii facere, etiamſi pretium ingens argenti offerret. Quare coactus eſt Imperator petere Venetias, & ſeſe turpiter & ignominioſe coram Papa incurvare, procidereq; in terram, in æde ſacra illorum, quæ Marci vocatur, inſpectante omni populo. Ibi calcavit, ambulavitq; pedibus ſuis Pontifex ſuper tergo Cæſaris filiiq; ejus, ſimul enuncians*: Super aſpidē & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Poſtea dimiſit eos in pace.* Sed, hæc levia quis reputare poteſt, & ipſi facile animo præcipimus, ea, quæ poſſunt objici. Neque vero eſt, ut in illorum teſtimoniorum autoritate adſtruenda, multum ſtudii & operæ impendamus, his enim cauſam noſtram minime ſuperſtruimus, ſuntque plura longe, ex quibus firmamentum & vires accipit. Credimus nimirum, *Johanni Franciſco Loredano*, Viro, & Senatoria in urbe Veneta dignitate, & literarum gloria, noſtro ævo Illuſtriſſimo, in libello de vita Alexandri III. ſerio nobis aſſeveranti, infinitos propemodum extare antiquos Autores, qui hiſtoriam de calcato Friderico in literas retulerint, & credimus citra hæſitationem. Nam, dubitantes de ſuæ aſſertionis fide, *Bardum, Frangipanium, & Olmum* inſpicere jubet, qui multorum dicta congeſſerint. Non potuit igitur in hac re mendacium nobis dicere tantus Vir, & ad ipſos Autores, qui typis excuſi publice pro-

proſtant; falſo provocare: quam turpiter ne ſe daret viliſſimus quidem mortalium, & qui omnem frontem cum pudore amiſit. Ipſe Rupertus, in hac cauſa, *non leve eſſe*, pronunciat, *quod ad Bibliothecam Vaticanam Baronius provocavit, ac tot judicibus obnoxium ſe fecit, quot Italis, Germanis, Gallis, ad huncusq; diem inſignis illa Bibliotheca patuit.* Quanto igitur magis æſtimandum eſt, quod Venetus Senator, & is quidem, integritate morum, ſapientia, & tot elegantis ingenii editis monumentis, ſi quis alius, hac noſtra ætate celebratiſſimus, libros, non ſcriniis incluſos, & ægre (nota prædicamus) in conſpectum hominum prodeuntes, ſed, qui impreſſi habentur, teſtes citat, atque omnium mortalium qui eos legere & intelligere poſſunt judicio, ſe reddidit obnoxium? Adde, quod ipſe adeo Rupertus noſter, inaudiviſſe ſe fatetur, *Fortunatum Olmum extare, qui rem* (hoc eſt calcationem Friderici) *ex monumentis & Archivis revera factam aſſerat.* Quod autem de nunquam poſt ſolicitam requiſitionem viſo ſibi Scriptore, deinde ſubjicit, *valde vereri ſe, ut meliora proferat quam Hieronymus Balbus*, (ſic excuſum eſt, *Bardus* legere oportet) *quam alii*: nemo non animadvertit, ex præjudicio ortam eſſe ſiniſtram ſuſpicionem, & annon illi ſuas quis in mentem revocare voces poſſet, paulo ante emiſſas: *Non ſufficit ſuſpicari, ubi de alterius fama agitur, decet ſcire?* Sane, nec nobis Olmum, Bardum, & Frangipanium adire in præſentia licet, nec potuit eos nobis rogantibus ſuppeditare, Illuſtris Vir, Reipub. Literariæ decus, & noſtro animo cariſſimus longe Fautor, *Antonius Magliabechius*, Magno Hetruriæ Duci a conſiliis, & a cuſtodia Bibliothecæ, qui, in literis demum nudius quintus perlatis, illos aliquem ſibi harpagaſſe queritur, promittens tamen, navaturum ſe nobis operam benevolentiamque in iis unde-

cunque

cunque conquirendis, nam, in Italia quoque, non ſunt ita obvii. Quoad igitur ille nos voti compotes facit, ſicque alio die, certi quid ſolidique magis proferre adjuvat, nos quidem interea temporis nefas nobis eſſe ducimus, hariolari velle, aliud iis libris contineri, quam ab his proditum eſt, a quibus viſi fuere & perlecti. Quin, ſi omnino conjecturis locus, hanc, quam æquitas & modeſtia ſugerunt, tantisper proponimus: Videlicet, eſſe admodum veriſimile, quia vel ipſi in Italia de hac hiſtoria typis excuſi libri, tam rari Alpes transmigrarunt, ut nulla eorum apud nos ſit copia, ideo, multa pro vindicanda rei veritate, in Italorum, apud quos hæc geſta ſunt, Monumentis, Faſtis, Annalibus, Archivis, reperiri, de quibus nemo transalpinorum vel fando quicquam accepit.

Sed vero, non unius tantum Veneti Senatoris nobis ſubvenit judicium, quin potius illum, & nos pariter, ejus legentes veſtigia, adhuc amplius tuetur, universus Sacer & Auguſtiſſimus Senatus, almæ illius & æternæ Reipublicæ. Ad hunc igitur, Loredanum autorem ſequuti, reverentur & demiſiſſime provocamus, quando illius juſſu, omnis Alexandri III. Papæ, & Friderici I. hiſtoria, atque inter cætera, illa Imperatorii colli calcatio, jam olim, in ea Palatii Ducalis Aula, ubi Conſilium Magnum habetur, extabat depicta, & poſtquam A. C. 1577. incendio periiſſet, fuit reſtituta, ita ut etiamnum omnium oculis conſpici queat, nosque ipſi, ſpectatum ſimus admiſſi. Poſt hanc publicam memoriæ illius conſecrationem, ſcelus fuerit, porro ambigere: nec enim autoritatem ejus vel tantillum elevat, illud tritum Horatii:

— Pictoribus atq; Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas:

quod Cardinalis Baronius, qui Tom. XII. Annal. Anno

1177. ex

1177. ex adverſum pro negativa ſtat ſententia, objecit: Vel illud, quod verboſius excipit Rupertus, inquiens: *Fuiſſe quidem picturæ uſum apud veteres, ad propagandam rerum memoriam, ſed tamen, poëma, pro fallaci & lubrico argumento ſemper habitum. Nam, pictores haud pauciores fabulas dediſſe quam ipſos poetas. De Marco Valerio Romanos Scriptores* ἀπὸ μιᾶς *ſcribere, auxilio corvi viciſſe pugna ſingulari Gallum; quos, decepiſſe pictores, qui Valerium pinxerint, galeam geſtantem, cui corvi ſignum ſuperadditum, docuiſſe Voſſium lib. 1. de Idol. cap. 27. A pictoribus dependere omnes mythologias & falſos de Diis ſenſus, ut Joſephus docuerit lib. 2. contra Appion.* Etenim, minime diffitemur, Pictores non minus ac Poëtas, multa ſæpe ex ingenio effinxiſſe, & quædam penicillo adumbraſſe, quæ nec fuere unquam, nec poſt ſunt futura. Nihilo ſecius certum eſt nobis indubitatumque, non omnes picturas ejusdem eſſe futilitatis, uti nec omnes ſunt ejusdem coloris. Atque, fieri ſane poteſt, ut plus veri inſit uni tabellæ, quam ſexcentis Hiſtoricis: cujus rei argumentum vel ex ipſo Marco Valerio (nam, ea res, noſtro utiq; magis, quam Ruperti inſtituto favet) palam capimus, quem pictor probe & ex habitu antiquorum militum, cum galea cui corvi ſignum ſuperadditum, expreſſerat, ſed Scriptores Romani omnes, immenſo numero, corvum in pugna auxiliatorem habuiſſe perhibuerunt: non igitur ille, ſed hi, in vitio fuiſſe, & veritatem interpolaſſe deprehenduntur. Nimirum, ſi vetus ſit pictura, & cum re cujus figuram repræſentat, coæva; ſi non privatim ex mero arbitrio fatui pictoris, verum publico Magiſtratus aut Populi juſſu, ad perpetuandam memoriam efficta; ſi Prytaneo publico, non parietinis domunculæ alicujus aut frivolæ tabellæ ſit appicta, fides ei debetur jure optimo maximo. Quippe, ut illud in l. 32. §. 1. D. de Legibus, huc non inepte accommodare nobis liceat: *Quid intereſt, ſuffragio Populus voluntatem ſuam decla-*

ret, an rebus ipsis & factis? Atqui, implet Veneta, quam nos urgemus, pictura, omnes istarum conditionum partes, cum in nobilissimo Urbis, ipsiusq; Ducalis Palatii loco, quorumvis mortalium visui, Patrum jussu exposita, pateat, ejusque, qui in fumum abiit archetypus, solos quinquaginta & duos annos, post rei, cujus effigiem ostendit, eventum, fuerit confectus. Sic enim habet vetus, quæ huic subjecta erat, & incendium evasit, Loredano laudata inscriptio:

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCCXXVIIII. JACOBO THEUPOLO DUCANTE CÆPTUM FUIT HISTORIAM ALEXANDRI TERZI HAC IN NOSTRA AULA AERE PUBLICO DEPINGI.

Quamobrem, cum ista pingerentur Venetiis, innumeri adhuc eorum, qui Imperatorem & Papam Venetiis fuerant intuiti, erant superstites, quibus glaucoma ob oculos objicere, & falsa pro veris supponere, nemo valuisset, imo ne quidem pertentasset. Eam ob causam, sapienter & graviter scripsit Loredanus: *Che però con poca prudenza si potrebbero ascriuere a capricci d'vn pittore, mentre si trattaua d'vn Historia Sacra, e delle perdite d' vn' Imperatore. Non haurebbe permesso la prudenza di quei primi Padri, che gli scherzi d' vn' penello adombrassero la faccia del vero. Se ne sarebbe risentito Federico Secondo, che capitò tre anni dopo in Venetia, nel vedere in vna pittura publica falsamente i biasimi di Federico Barbarossa suo Auo, e d' Ottone suo Zio. Mà non si scherza, quando si descriuono Historie, che con vna publica iscrittione si dichiarirono per tali.* Id est: ***Imprudenter admodum res libidini pictoris acceptæ feruntur, quando agitur de Historia Sacra, & cladibus alicujus Imperatoris. Non permisisset prudentia illorum primorum Patrum, ut ludi penicilli cujusdam, obumbrarent vultum veritatis. Questus ea de re fuisset Fridericus II. qui triennio post in Venetias appulit, conspicando in***

picturâ publicâ, opprobria falsa Friderici Barbarossæ Avi sui, & Ottonis sui Patrui. *Enim vero, nullus jocis locus, quando describuntur Historiæ, quas publica Inscriptio tales declarat.* Hactenus dicta, Cl. Ruperti objectionibus fortasse satisfaciunt. At, Baronium Cardinalem, illud insuper incommodat, quod eadem Historia de calcato Imperatore Barbarossa, non solum Venetiis, sed & Senis Hetruscis, Alexandri Papæ patria, in templo cathedrali, imo adeo Romæ in Palatio Vaticano depicta visitur, ut infallibilitas, quam vocant, Pontificis, cujus decisioni Baronius alicubi philologicas quoque controversias subjicit, in discrimen veniat, nisi cœpto desistit, nec hujusmodi sermonem porro altercatur. Scilicet, *Pius IV.* Pontifex (is ipse enim fuit, Justiniano & Loredano testibus; atque sic apud Rupertum pag. 680. deleto *Pauli IV.* nomine, rescribendum est) post habitam Congregationem Cardinalium, & multam deliberationem, examenq; sedulum Scriptorum (Loredano autore hoc dicimus) similem picturam, Josephi Salviati (*Salviatis* mendose habet Ruperti editio) nobilissimi artificis manu, excitavit in Vaticano, & apponi jussit elogium:

ALEXANDER PAPA TERTIUS FEDERICI PRIMI IMPERATORIS IRAM ET IMPETUM FUGIENS ABDIT SE VENETIIS. COGNITUM ET A SENATU PERHONORIFICE SUSCEPTUM, OTHONE IMPERATORIS FILIO NAVALI PRÆLIO A VENETIS VICTO CAPTOQ; FEDERICUS PACE FACTA, SUPPLEX ADORAT FIDEM ET OBEDIENTIAM POLLICITUS. ITA PONTIFICI SUA DIGNITAS VENETÆ REIPUBLICÆ BENEFICIO RESTITUTA. MDLXXVII.

Neque

Neque eſt, ut,(quod nonnemini factum meminimus) adverſus iſta quis objiciat, meliora edoctum *Urauum VIII.* Pontificem, *Barbarinum* gente, noſtra memoria delevisſe hanc picturam, & tectoria calce incruſtaſſe parietem: ut contrario, infallibili judicio, tanquam falſa & inepta damnata fuerit. Namque (bona cum venia eorum, qui hactenus id perſuaderi ſibi paſſi ſunt, dictum hoc velim) iſta neutiquam evenerunt, & falſus rumor ad nos perlatus eſt. Ediſſeram autem rem omnem, paucis cognitam, prout vere accidit, eſt enim oppido digna quæ notetur, quare diligenter & ſedulo illam narrabo, atque, ne cui noſtra fides ſubleſtior videatur, nihil dicam ſine teſte. Anno hujus Seculi quinto ſupra trigeſimum, cum lites inter Urbanum Papam & Rempublicam Venetam exortæ invaluiſſent, ibi Pontifex, non veritatis amore, ſed erga Senatum Populumque Venetum odio ductus, paulo poſt Ludovici Contareni, illorum Legati, ex urbe Roma diſceſſum, *Pii IV.* elogium, Picturæ, de qua agimus, ſubjectum, quod Venetis nimium tribuere, illisque Pontificiam Sedem vehementer obnoxiam facere videbatur, delere, vel potius corrigere ſuſtinuit. Nam pro verbis, jam modo recitatis, juſſit ſubſcribi:

FEDERICUS IMPERATOR ALEXANDRUM TERTIUM PONTIFICEM QUEM DIU INSECTATUS FUERAT POST CONSTITUTAS CUM EO PACIS CONDITIONES ET DAMNATUM SCHISMA SUPPLEX ADORAT.

At, in ipſa pictura, nihil mutatum, eademque illius permanſit ingenuitas integritasque quæ olim fuerat. Id factum, cum ad Senatum Venetum perlatum eſſet, iniquiſſimo hoc tulit animo, & actutum, non valedicto prius Pontifice,

Residentem (ceu appellant) qui Romæ remanserat, ex urbe excedere jussit, Nuncium autem Apostolicum, secum morantem, aditu porro prohibuit, diserte testatus, haud unquam rediturum se cum Papa in gratiam, nisi antiqua Inscriptio postliminio restitueretur. Quæ omnia Hieronymus Brusoni in Historia Italica l. 3. pag. 119. his verbis in vernacula fere eloquutus est. *Auendo Vrbano dopo la partenza da quella Corte dell' Ambasciatore Luigi Contarini, alterato in Sala Regia l' Elogio, che rappresentaua il merito acquistato dalla Republica nella difesa di Papa Alessandro Terzo contro Federico Barbarossa, il Senato altamente commosso da così fatta ingiuria non meno graue che inaspettata, commandò immantenente al Segretario Residente a Roma, di partirsene senza congedo: negò al Nunzio le Vdienze di Collegio, e si dichiarò con tutti i Prencipi, che nessun altro partito o ripiego, l' auerebbe giammai appagato, fuor che la intiera restituzione del primo Elogio.* Consequuta sunt hoc Pontificis factum, multa convicia, & excepta jactataque publice Pasquini vox, qua dixisse ferebatur: *Quia Urbani erga homines sævities, quo ultra progrediatur non habet, nunc adversus picturas grassatur, & mox statuas involabit. Quare, væ misero mihi! væ carissimo Morforio! væ cæteris in Urbe signis!* Potuisset idem, argutum illud, ante triennium summo cum applausu prolatum, immutare leviter, novamque gratiam apud omnes inire, exclamando: QUOD NON FECISSENT BARBARI FECERE BARBARINI. In elegantissimo libello, qui *Divortii Cœlestis* nomen habet, & *Ferrantem Pallavicinum*, Italorum nostri ævi facundissimum, istiusq; de quo nobis sermo, Urbani Pontificis jussu capite postea plexum, autorem habere fertur,

Patri-

Patritius Venetus graviter quoq; de hac Papæ impotentia querens introducitur, estq; operæ pretium, istius audire lamenta, quæ tamen, non vero quo scripta sunt sermone, sed tantum ex Gallica, quam ad manus habemus versione, eaque fortasse minus accurata, edere nobis licet: *L' Eglise Romaine à tousjours esté seruie de nous, en la maniere, qu'il estoit convenable, a une legitime Espouse de Jesus Christ. Icelle neantmoins non seulement par plusieurs fois nous respondant auec peu de recognoissance, a conjuré nostre ruine, mais encor finalement a voulu chasser de sa maison la memoire des seruices qui par tant des siecles ont esté exaltez par le veritable recit des histoiriens, & approuuez par un Eloge public, donné du consentement de tous les Papes precedents. Ce Lion peut malaisement Souffrir de vray qu'on luy conteste ceste gloire qui à tousjours esté l' aliment de ses pensées genereuses: & nous semble fort estrange, que Venize ayant desja accueilli un Pape fugitif, & l' ayant remis dans son siege qu'il auoit perdu, au detriment de l' or & du sang de Venize, maintenant les Papes refusent de receuoir en leur propre maison au moins la memoire d' une si grande faueur qu'ils ont receüe. Pourtant la Republique, afin de ne venir par ce seul point a aucune espreuue auec l' Eglise Romaine, consentit qu'on entremist pour leur accommodement l' autorité de la Couronne de France. Mais Urbain VIII estant different d' auec S. Pierre, ne prend pas garde quand il nie la verité a la voix du Coq. Ainsi perseuerant en ceste opiniastreté de ne pas mettre l' Eloge, se contente par un fol caprice de prendre pour l' Eglise une glorieuse attestation d' auoir esté seruie par les Princes. Ainsi ceste ancienne inscription qu'on voyoit enregistrée au Vatican, par la recognoissance de l' Eglise, des bienfaits de Venize, que le temps n' à peu aneantir iusqu'a present, les Barberins l' ont finalement mise a neant, parce par auanture que le Barberins ayans banni de Rome toute vertù, il leur fasche de voir la recognoissance recueillie sous le couuert de leur maison: ou plustost parce que les Barberins ne se tiennent pas obligez pour les seruices que l' Eglise a receus, en estans plustost les ennemis que les directeurs. Cependant nous n' auons peu si non nous scandalizer auec un ressentiment d' un trait si ingrat, nous consolans neantmoins finalement voyans que la mauuaise volonté*

lonté du Pape, ne nous peut apporter pour le present plus de dommage que celui qui se fait dans l'estendüe des murs de sa maison.
Id est: *Nos quidem Ecclesiæ Romanæ semper illud obsequiū detulimus, quod conveniebat legitimæ Sponsæ Jesu Christi. Ipsa nihilo minus, cum exigua sæpe gratia nobis respondens, non tantum conjuravit in nostram perniciem, sed & tandem ex ædibus suis expulit memoriam benefactorum, quæ per tot secula celebrata sunt veris Historicorum narrationibus, & elogio publico approbata fuere, omnium præcedentium Pontificum consensu. At noster Leo, difficulter perferre potest, ut ei controversia fiat de gloria ista, quæ semper pabulum fuit honestissimorum illius conatuum: nobisq; vehementer mirum videtur, quod cum Veneti olim receperimus Papam fugitivum, & cum auri sanguinisq; nostri profusione restituerimus in Sedem amissam, nunc Pontifices recusent, admittere in proprias ædes, saltem memoriam tanti favoris quem perceperunt. Cæterum, Respublica, ne ob hanc solam causam cum Ecclesia Romana collideretur, passa est, ut ad rem componendam, autoritas Regis Galliæ intercederet. Sed Urbanus VIII. aliter longe quam S. Petrus animatus, parum referre putat, negare veritatem ad Galli cantum Sic perseverans in contumacia de non restituendo elogio, stultissime recusat Ecclesiæ nomine acceptare gloriosum testimonium, Principes ei fuisse a servitio. Unde antiqua inscriptio, quam ob Veneta benefacta, quorum memoriam longa ætas usq; adhuc delere non potuit, Ecclesia grata Vaticano inseruerat, deniq; a Barbarinis in nihilum redacta est, fortasse, quia, postquam Barbarini omnem virtutem Roma expulerunt, ægris oculis vident, gratitudinem intra tectum ædium illarum admissam. Aut potius, quia Barbarini minime obligatos se credunt, ob servitia Ecclesiæ præstita, cujus inimici magis sunt, quam Directores. Interim, cœptum tam ingratum non potuit non offendiculo nobis esse, nostramq; provocare indignationem; sed solamur nos tandem, videndo malevolentiam Papæ, in præsentia haud aliud damnum afferre nobis posse, præter illud, quod fit in ambitu murorum eorundem domicilii.* Discimus exinde, ipsum Galliæ Regem Christianissimum, cum Urbano Papa, apud quem multum gratia valebat, egisse, ut picturæ redderetur vetus elogium,

neque

neque tamen negotium ex voto confecisse. Atque hinc factum est, ut Senatus Populusque Venetus infensissimo essent erga Pontificem animo. Sed verò, hos, mutato nonnihil rerum statu, conciliare iterum cupiens Urbanus, Anno 1639. ultro illuc Legatum ablegat, nomine *Vitellium*, gratulatum Patribus, de insigni victoria, quam anno superiore de Piratis Africanis reportaverant, & rogatum, Legatos Romam mittere dignarentur, quo cum iis consilia, quæ, in orbis Christiani salutem, Italiæ quietem, & Turcorum detrimentum, meditaretur, communicare posset. Nunc, quid porro successerit, malumus referre verbis, *Illustrissimi & Excellentissimi Senatoris Veneti, BAPTISTÆ NANI, Viri, prudentiæ incomparabilis, eruditionis eximiæ, & qui splendidissimis in Aula Imperatoris, Gallia, & Hispania legationibus pridem summa cum laude defunctus, merito Principi, & Senatoribus Collegis, dignus nuper visus est, qui Conventui ad tranquillandam & componendam turbatissimam nostram Europam, Noviomagi (o utinam Feliciter!) habendo, Augustæ Reipub. nomine destinaretur; a cujus Summi Viri sapientia, & in rebus gerendis dexteritate, uti optima quæq; nobis pollicemur, ita illi, cæterisq; sanctissimæ autoritatis Legatis, qui ibidem convenient, salutem, & prospera quæq; vovemus, Deum supplicibus votis precati, faveat illorum consiliis, intersit deliberationibus, atq; almæ*

Pacis

Pacis, quam misera Europa unice suspirat, eos faciat Sequestros.

Votum secundet, qui potest, nostrum DEUS.

Cæterum, Laudatissimi Baptistæ Nani, in nunquam satis deprædicanda Reip. Venetæ Historia, &, quæ jure bono, Taciti Itali cognomen Autori suo promeruit, lib. XII. verba sunt: *A tali motivi deliberarono i Venetiani d' inviar a Roma un Ambasciator Straordinario, con incarichi espressi, che solamente versando in ciò, che riguardaua la causa de Turchi, o il maneggio della Pace di Christianità, s' astenesse de qualunque negotio, che tendesse a' proprii interessi de la Republica, i quali per gli comuni voleua al presente lasciar da parte, e in sospeso. Giouanni Nani, Procuratore di San Marco, fù eletto, accioche con certa sua naturale desterità, e con prouetta esperienza, acquistata ne' più graui impieghi della Republica, promouesse negotii di tanta importanza. Fù egli dal Pontefice con giubilo accolto, e con honori conspicui; ma prima, precorso Federico Cardinale Cornaro, Patriarca di Venetia, andato (com' è l' obligo del costume) a' limitari degli Apostoli, indusse Urbano a cancellare l' inscrittione, da lui posta sotto la memoria d' Alesandro Terzo Pontefice. Non volle però rimettere l' antica, tacitamente lasciandone al Successore il pensiero, gia che aboliua quella, della quale era stato Autore egli stesso. Il Senato, stimando ciò, in quanto era un primo passo, necessario alla perfettione dell' Opera, non tralasciò d' esprimersi, niente altro poter contentarlo, che la redintegratione del pristino Elogio.* Id est: *His inducti rationibus, decreverunt Veneti, mittere Romam Legatum extraordinarium, cum mandato expresso, ut tantum versando in iis quæ attinent ad causam Turcarum, aut ad conciliationem pacis in orbe Christiano, abstineret ab omni negotio, tendente ad proprium commodum Reipub. ista enim in præsentia communibus postponi, & in suspenso relinqui volebat. Johannes Nani, Procurator S. Marci electus fuit, qui cum congenita dexteritate, & provecta prudentia, quam in gravissimis Reipub. expeditionibus paraverat, tantæ arduitatis negotium promoveret. Eum Pontifex, cum gaudio & honore insigni excepit. Sed prius præcurrens Fridericus Cornarus Cardinalis, Patriarcha Venetus; vi-*

tus, visitaturus (uti consuetudinis lex cogit) limina Apostolorum, induxit Urbanum ad delendam Inscriptionem quam memoriæ Alexandri III. Pontificis subjecerat. Nolebat autem reponere veterem, tacite Successori hanc curam relinquens, quandoquidem eam aboleverat, cujus ipse autor extitit. Interim Senatus, probans quidem istud cæptum, tanquam primum gradum, & necessarium ad operis perfectionem, non neglexit tamen testari, in nulla re alia se acquieturum, quam in restitutione pristini elogii. Enim vero, ad hanc faciendam, nunquam induci se passus est Urbanus, nec fieri sane id poterat, citra præsentissimum detrimentum autoritatis suæ atque existimationis, cui vel sola deletione a se suppositæ Inscriptionis, jamdum pessime erat consultum. Mansit itaque sine titulo pictura Alexandri, ad mortem usque Urbani, quam ipse oppetiit, anno hujus seculi quarto supra quadragesimum. Tum succedens in locum *Innocentius X.* ex Pamphilia gente, statim post adeptam potestatem nihil prius fere habuit, quam ut amicitiam veterem, quæ Romanæ Sedi cum Republica Veneta intercesserat, revocaret in usum. Quoniam vero perspectum habebat, id fieri non posse, nisi reparato antiquo Elogio, idcirco sua sponte, antequam rogaretur, illud reddidit, quod, sic redditum, nunc in Vaticano conspicitur, perdurabitque sine dubio in temporum æternitatem. Non pigebit, etiam de hac restitutione, adscribere paulo prolixam narrationem supra nobis laudati Hieronymi Brusoni ex l. 12. Historiæ Italicæ: *Intento poscia Innocenzio a cessare l'occasioni de' disgusti, che nudriuano i nostri Prencipi con la Sede Apostolica, per le asprezze del passato Pontificato; volle riportare egli solo la gloria della riconciliazione della Republica di Venezia, come che concedesse all' altrui mediazione, o rimettesse all' altrui discussione le sodisfazioni degli altri Prencipi. Trattauasi già buona pezza dal Cardinale di Toscana, e da altri Personaggi, e Ministri quiui Residenti, la restituzione dell' Elogio nella Sala Regia*

 (donde

(donde è stato cancellato da Papa Urbano) a fauore della Republica intorno alle occorrenze note di Alessandro III. co'l fondamento di scritture apocrife, e false, messe in disputa, e sospetto, dallo scrittore degl' Annali Ecclesiastici. E gia s' andaua divulgando, che douessero essi riportare l' applauso di questo accomodamento, che restituendo questa debita gloria della Republica, ridonova alla Corte di Roma la residenza de' suoi Ambasciatori: quando il Papa, non voluto concredere ad altri quel merito, che poteua acquistargli con gli applausi universali l' amore della Republica; obligandola a corrispondenza eguale alla grandezza del beneficio; improuisamente, e di suo proprio moto, restituì al suo luogo l' elogio cancellatone da Papa Urbano. Di che peruenuta immantenente la nouella a Venezia, non può dirsi con quanta allegrezza venisse riceuuta da tutti gli Ordini de' Cittadini, vedendo dissipate dalla prudenza del Papa quelle nuuole di mala sodisfazione, che solleuate contra la tranquillità della pace, minacciauano continua tempesta di disgusti, e di turbolenze. Mà il Senato, che non volle mai lasciarsi superare di magnanimità, come non seppe mai cedere di puntiglio ad alcuno; elesse la medesima sera nel Pregadi, Ambasciatore Staordinario a Roma, Angelo Contarini, Caualliere, e Procuratore di S. Marco, per ringraziare il Papa di questa grazia, e chiamato il giorno appresso il Gran Consiglio, vi decretò, non ostante qualunque parte in contrario, la Nobiltà Veneta alla Famiglia Pamfilia, nella maniera solita praticarsi co' Pontefici trapassati benemeriti della Republica. Auuiso che portato al Papa, mentre si trouaua nella Congregatione di Stato, venne da lui riceuuto con lagrime di tenerezza, e con viue espressioni di stima al merito della Republica. Id est: *Solicitus deinde Pontifex, de tollendis occasionibus malevolentiæ, quam nutribant Principes nostri adversus Sedem Apostolicam, ob asperitates præteriti Pontificatus, solus ipse referre volebat gloriam reconciliatæ Reip. Venetæ, alienæ compositioni discussioniq; relinquens placamenta cæterorum Principum. Urserant jam diu Cardinalis Tuscus, aliiq; Viri Præcipui, Ministriq;, ibi commorantes, restitutionem Elogii in aula Regia (Papa Urbanus isthic illud deleverat) in laudem Reipublicæ, circa historiam Alexandri III.*

quam

quam fundamentis testimoniorum apocryphorum, falsorumque nixus, in controversiam, & dubium vocaverat Annalium Ecclesiasticorum Conditor. *Erat jam sparsa fama, hos reportaturos applausum factæ pacificationis, ut restituta Reipublicæ debita gloria, ipsa redderet Romæ præsentiam suorum Legatorum. Ibi Papa, non volens aliis concedere meritum, quod cum omnium applausu, Reipubl. amorem ei devincire poterat, eamque obligare ad gratitudinem magnitudini beneficii æqualem, ex improviso, & proprio motu, in suum locum restituit Elogium, quod Urbanus Papa obliteraverat. Ejus rei nuncius, cum continuo Venetias perlatus esset, dici non potest, quanto gaudio ab omnibus Ordinibus Civium fuerit exceptus, quod viderent Papæ prudentia dissipatas querimoniæ nubeculas, quæ, contra pacis tranquillitatem excitatæ, perpetuas tempestates ægrimoniarum & turbarum minabantur. At Senatus, qui nunquam passus est superari se magnanimitate, prorsus uti nec cujusquam unquam cessit impotentiæ, illa ipsa vespera coacto Consilio Centumviginti-virali, destinat Angelum Contarenum, Equitem, & S. Marci Procuratorem, Legationi Romam versus extraordinariæ, ut pro hac gratia Pontifici ageret gratias, atque adunato sequenti die Magno Consilio, insuper habitis quæ obstare poterant, Nobilitatis Venetæ decus, decernit Familiæ Pamphiliæ, eum in modum, qui observatus fuerat circa Pontifices prædecessores, de Republica benemeritos. Hæc cum Papæ dum Congregationi Status interest, renunciarentur, cum lachrymis quas gaudium expresserat, multaque significatione reverentis erga Rempublicam affectus, illa percepisse dicitur.*

Ex hactenus allatis patescit, opinionem nostram, qua vere Friderici I. Imperatoris collum ab Alexandro Papa calcatum fuisse credimus, magnis validisque fulciri argumentis, illique & animo & viribus opus esse, si quis eam in terram arietare præsumat. Certe, quæ Rupertus noster attulit, nihil officiunt, & hanc ne leviter labefactant quidem. Nam, quod ad *autoritatem Magnorum Virorum*, qui nigro calculo nostram sententiam damnarunt, & ad quam principio Vir

Doctissimus Optimusque provocat, attinet, illa sane percellit nos nonnihil, dum talia agnoscimus Nomina, quibus & publica & privata pietate debemus observantiam, quippe, sic omnes de Republica Literaria, aliqui de nobis insuper id promeruerunt. Sed, sat scimus, non ægre ferunt illorum Manes, si ingenio nostro abundamus, & Sanctissimam Veritatem eminus vereri annitimur, dum ipsi nunc cominus ea perfruuntur. Possumus etiam post principia hic stare, nostrosque defensores, qui nostras partes tuentur, ante nos locare, ne nimium nobis metuamus. Siquidem, nostra de calcalcato Friderico sententia, Patronos itidem habet, Viros, summæ inter mortales dignitatis, & in divinis humanisque literis consummatissimæ doctrinæ. Non est opus Pii IV. Pontificis, & Augustæ Reipublicæ Venetæ Regalis Senatus, fidem rursus implorare, sunt nobis insuper præsidio, *Jacobus Angliæ Rex, in Confutat. Torti fol. penult. & in Tortura Torti p. 263. B. Lutherus in præfat. libelli* Bapsts Treu *Hadriani IV.* und *Alexandri III.* gegen Käyser Friderichen Barbarossa geübet / *qui extat Tom. 8. Jenens. fol. 230. b. Philippus Melanchthon in Chronico Carionis l. 4. p. 942. Centuriatores Magdeburgenses Cent. 12. c. 10. p. 1417. Isaacus Casaubonus in Prolegom. Exercitationum adversus Baronium. Joh. Henr. Hottingerus Parte 3. Hist. Eccl. p. 12. Autor Fulminis Bruti, quem Franciscum Hotomannum JC. fuisse accepimus, p. 71. Simon Schardius, JC. in libro de perfidia Paparum erga Imperatores. Petrus Bertius l. 2. Comm. rer. Germ. p. 72 Johannes Cluverus in Epitome Histor. p. 504. &,* qui inter primos nominandi erant, *Johann. Gerhardus,*

in De-

in Dedicatoria part. 1. *l.* 2. *Confess. Cathol.* atque *Johannes Saubertus* Pater *in libello de Biblioth Noriberg.* Theologi insignes, quos ambos Rupertus confutandos sibi sumsit, alterum ex iis, etiam inclementius & contra genium literarum quas profitebatur, tractans, quod factum dolemus. At, alia Ruperti argumenta videamus; sic ratiocinatur: *Cuicunq; narrationi*, inquit, *appositæ notæ*, AIUNT, FAMA EST, FANDO ET ORE VULGI SALTEM ACCEPIMUS; *ea uti commemorari potest, ita pro certa & fideli sive approbata, nec accipi potest, nec debet.* — *At talis est narratio de Friderico Barbarossa, quod ex antiquissimo Scriptore probare possum.* Affert deinde ad probandum assumtum, præcipue locum *Ouvonis* Ravennatensis presbyteri, quem Scriptorem, ævo, quo hæc contigisse dicuntur, proximũ vocat, cui *Marci Antonii Sabellici*, *Pauli Jovii*, *Petri Justiniani* & *Francisci Modii*, addit testimonia. *Ouvonis* verba recitat: *Quibus pactis, Cardinales iidem, ut injunctum eis fuerat, Imperatorem ad D. Marci delubrum, ubi eum Pontifex operiebatur, deduxere; cum ad Pontificem pro foribus templi sedentem accessisset, dejecta ex humero fulgente chlamyde, posito eum genu adoravit. Mox ad pedes pr volutus, eosq; exosculatus* FERTUR *insultanti Pontifici, & propheticum carmen*, super aspidem & basiliscum ambulabo, & calcabo leonem & draconem, *enuncianti*, non Alexandro sed Petro, *id tribuere, pervicaci dicto respondisse: Pontificem deinde*, & sibi & Petro, *cessum ingeminasse; ac tum demum ad complexus mutuos, & par osculum admisisse; conclamantibus undiq; omnibus: Deo laudem esse deferendam.* *Sabellici*, ad quæ provocat, ista sunt: ADDUNT QUIDAM, *Pontificem collo Cæsaris prostrati pedem imposuisse, cæpisseq;*

pisseq; interim Davidicum illud canere: Super aspidem & basiliscum ambulabis! *Notum est carmen. Tunc Fridericum ingentes alentem spiritus, dixisse* : Non tibi, sed Petro! *cui Alexander irato similis, impressa fortius planta*, & mihi & Petro! *responderit. Ferunt dominicæ assensionis die id factum.* *Pauli Jovii* istud adducit: *Itaq; pacificatore Ziano, Venetorum Principe, Imperatorem ad pedes suppliciter projectum Pontifex præ foribus Marciani templi rite expiavit, in gratiamq; recepit.* TRADUNT SCRIPTORES, *Pontificem anteactæ calamitatis suæ memorem, osculanti pedem, contracta fronte, hoc Davidicum carmen protulisse*: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem! *ut domitæ superbi animi ferociæ nequaquam humaniter illuderet; ad quod Cæsar tam pie, quam graviter, renidenti vultu responderit*: Non tibi sed Petro. *Petri Justiniani* sequentia inculcat: *Alexander autem Friderici collo planta supposita, Davidicum illud protulisse* DICITUR. Denique, ex *Francisco Modio* laudat verba: ADDUNT QUIDAM, *Ponitificem, quasi ita illum expiaturum collo ipsius prostrati pedem imposuisse, cæpisseq; interim Davidicum illud canere.*

Ratio postulat, ab iis testimoniis, quæ Ruperti thesin defendere debent, segregare ante omnia *Pauli Jovii* dictum, quod notam dubitationis minime appositã habet. Nec enim profecto ipse Rupertus τò TRADUNT SCRIPTORES, pro tali signo, ratiocinio ausus est inserere. Fuerint itaque indicia hæsitationis, formulæ istæ sermonis: AIUNT, FAMA EST, FANDO, E TORE VULGI SALTEM ACCEPIMUS, sed, ab istis nimium differt Jovii locutio, quam nos, ex contrariorum lege, certitudinis notam esse contendimus, dum illas, a Ruperto allatas, dubitationis suspicionem præbere fatebimur. Nam, iis, quæ *ajunt*

in tri-

in triviis, quæ sola fama, aut fando, ac ore vulgi saltem accepimus, illa, quæ *Scriptores tradunt,* ex adverso solemus opponere, ut pari passu isthæc ambulare, & pro iisdem accipi nequeant. Tum demum, fuisset aliquod momentum in Jovii loquela, si illud, *tradunt Scriptores*, excepisset formula, *penes quos fides erit*, vel alia æquipollens: nam, sic aurem vellere nobis licebat, meminissemus illorum Senecæ l. 4. Nat. Quæst. *Quod Historici faciunt, & ipse faciam. Illi, cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere, sed adjiciunt : Penes auctores fides erit.* Omnino igitur Rupertus aliter argumentum nectit, aliter probationes affert, quoniam nemo unus Scriptorum ab eo laudatorum, illas adhibuit expressiones, de quibus est in argumentatione. Proinde, nihil quicquam Jovius Ruperto favet, &, si faveret, in promtu erat eum repellere, tum quod fides ejus apud cordatos judices, Justum Lipsium in notis ad l. 1. pol. cap. 9. Gerhardum Johannem Vossium c. 9. Artis Histor. & Bodinum in Meth. Histor. c. 4. summopere laborat, tum maxime, quod Scriptor recens est, & in controversia de re multis ante ejus ætatem seculis gesta, testis munere nequicquam fungitur. Valeat hoc postremum, ad excludendum similiter *Franciscum Modium*, Jovio, A.C. 1552. defuncto, multo etiam juniorem, quippe qui Patrum nostrorum memoria vixit, & A. C. 1597. diem obiit supremum. Quod si vero ullum, vel leviculum momentum, inest incertitudinis notæ, quam Modius in narratione de calcato Friderico Barbarossa appinxit, nos quidem jure meritissimo adversus illum educemus, antiquiores longe, *Jacobum Philippum Forestum Bergomensem monachum, Ordinis S. Augustini, in Supplem. Chronicorum*; *Angelum Politianum, in Oratione Clarorum Virorum ad Alexandrum VI. Johannem Nauclerum Chron. volum. III.*

gene-

generatione 40. *f.* 235. *Johannem Stellam Sacerdotem Venetum, qui vitas CCXXX. Summorum Pontificum dedicavit Dominico Grimanno, Patriarchæ Aquilejensi*; quos ſerio, nude, & ſimpliciter calcationem aſſeverare, ipſe Rupertus non diſſimulat. Sic ſoli ſuperſunt, *Ouvo Ravennas Presbyter*, & *Marcus Antonius Coccius Sabellicus*, ac *Petrus Juſtinianus*, qui nobis obſtare videntur, & cum quibus qualibet conditione tranſigere oportet. Nam, ſi *Ouvo*, Scriptor Friderici ævo proximus; ſi *Sabellicus*, qui, Veronæ agens, *ex veterum*, uti ipſe in Præfatione loquitur, *annalium & Commentariorum perplexitate*, Hiſtoriam Venetam ab Urbe Condita contexuit, & ad ſua usque tempora productam, Venetiarum Principi & Senatui inſcripſit; ſi denique *Petrus Juſtinianus*, Patritius ac Senator Venetus, de veritate calcationis ab Alexandro Papa factæ, dubitarunt, & rem omnem in medio ſuſpenſam relinquunt, non negamus, facere id quodammodo ad ſcrupulum injiciendum. At vero, *Ouvonem* (quem infra Rupertus *Ononem* alias vocari perhibet) quod concernit, fatebimur ingenue, judicium de illo nos ferre non poſſe, quando quis fuerit, juxta ſcimus cum ignariſſimis. Neque tantopere id nobis vitio verti debet, qui curtam & tenuem noſtram ſuppellectilem libenter agnoſcimus, cum ipſe Voſſius vaſtisſimæ lectionis & πολυμαθέϛατος Vir, hunc Ouvonem ignorarit, nec ullam ejus in Commentariis de Hiſtoricis Latinis injecerit mentionem. Claruit ſane inter Hiſtoricos aliquis *Ouvo* ſive *Onno*, Friſius, Monachus in cœnobio Fontanellæ: ſed is, extremis Juſtiani Junioris temporibus vixiſſe deprehenditur. Alium Ouvonem & qui ad Friderici Barbaroſſæ, vel ſequens proxime ævum pertineat, non recordamur a quoquam, præterquam ſolo Ruperto, memorari. Unde ſuſpicati ſumus, Ouvonis illud nomen, apud Rupertum forſitan corruptũ eſſe, & pro Ouvone, *Obbonem* legi debere.

Etſi

Etſi enim nec Obbonem Hiſtoricum agnoſcit Voſſius, floruiſſe tamen aliquem iſto nomine inſignitum circa Friderici tempora, atque adeo deſcripſiſſe hunc accurate, infelicem Imperatoris adverſus Venetos expeditionem, Sabellicus nos docet, apud quem legimus: *Ferunt Pontificem ipſum* (Alexandrum III.) *cum Ducem* (Venetum Ciani) *literas ad Federicum, de fide Legatis habenda, cera obſignantem conſpexiſſet: In Ciani & aliorum gratiam mandaſſe, ut Ducariæ deinceps literæ plumbo munirentur: quem obſervationis uſum, ad hunc diem ſervari non ignoramus. Obbo, quem cum codicis unde hæc accepimus vetuſtate, tum quia omnia quæ eo bello accidere diligenter perſcripſit, tempeſtate illa fuiſſe ſuſpicari libet, duplici ait Venetos Principes ad eam diem ſignandi forma uſos fuiſſe: ut publica monumenta plumbo, Epiſtolas ac reliquos libellos cera communirent: ſed, tum primum Alexandro autore receptum, ut in his quoq; plumbo illi uterentur.* Fieri poteſt, ut apud iſtum Obbonem habeantur, quæ Rupertus tanquam ab Ouvone Ravennatenſe accepta, protulit, niſi malimus dicere, aliquem Auditorum, qui ex ore dictantis illas Obſervationes Beſoldianas excepit, & cujus exemplar typographus in impreſſione ſequutus eſt, non ſatis recte perceptum nomen ita depravaſſe. Nihil tamen definimus, quia libro deſtituimur, unde nec ſolidi quid afferre licet, quod ad addendam vel demendam iſti teſtimonio fidem, multum faciat. Eſt interim certum, illas quæ dubitationem videntur involvere locutiones, non ſemper vere hanc innuere, & crebro, *Fertur, Ajunt, Dicunt, Addunt quidam*, dicere Scriptores, etiam in re de qua minime ambigebant. Obſervarunt Theologi, & inter reliquos B. Glaſſius noſter l. 3. Philolog. Sac. tract. 5. can. 25. ne in Sacris quidem Literis, ubi tamen mentis & linguæ opifex loquitur, & ita loquitur, ut ab omnibus promiſcue intelligi velit, *Dubitandi adverbia non ſemper incertitudinem directe importare, ſed vel rei difficultatem exprimere, vel propter ali-*

am rationem emphatice adhiberi; ut mirum esse non debeat, si profani Scriptores, simili loquendi modo, qui ad incertitudinem ex sese spectat, sæpe præ modestia, alias ad invidiam declinandam, nonnunquam solius elegantiæ, connexionis, aut transitionis causa, in re & verissima & manifestissima utuntur. Licebat multa in hanc rem afferre, sed, quia modus servandus, haud evagabimur extra limites, & a Sabellico ac Petro Justiniano, quos suæ causæ patronos citat Rupertus, & in dubitantium numerum refert, haud discedemus. Non urgebimus operose, illam, quam Rupertus vult, incertitudinis notam, Petrum Justinianum, minime toti de calcatione Friderici historiæ, sed tantum verbis quæ Alexandrum Papam enunciasse perhibent, addidisse, ait enim: *Alexander autem Friderici collo planta superposita, Davidicum illud protulisse dicitur:* ut jam, si proba sit & demonstrativa Ruperti ratio, nihil ultra sequatur, quam vocasse in dubium Petrum Justinianũ num Davidica verba protulerit Pontifex, relinquatur nihilo minus eadem opera, illum pro comperto habuisse, quod ipsa acciderit calcatio. Ast, hæc levia sunt, quin potius probatum dabimus, illud Sabellici *Addunt quidam*, & Petri Justiniani *Dicitur*, nihil minus quam eorum in hac historia describenda dubitationem arguere, nec posse istam mentem illis tribui, citra gravem & manifestissimam injuriam. Prorsus enim, quasi animo præsensissent, futuros, qui sua dicta sequius essent interpretaturi, & hæsitationis cujusdam sese insimulaturi, solemni gravissimaque hanc a se suspicionem amotam voluerunt protestatione. Nimirum Sabellicus, postquam omnem de Victoria Venetorum ab Ottone reportata, de calcatione a Friderico passa, & de privilegiis Cianio ab Alexandro concessis, absolvisset narrationem, postremo subjungit: *Hæc sunt,*

quæ

quæ a domesticis & externis Scriptoribus, de inclyta Venetorum victoria adversus Othonem Federici filium accepi: De qua ne aliquo modo scribere dubitarem, præter alia multa, quæ quantumvis amplam arguere possunt victoriam, illud quoq; me vehementer admonuit, quod Veneti illi, qui multis retro annis fuere, rem omnem, ut gesta est, in publicum referendam censuere: Tota ipsius belli series figurata est in ea parte fori ubi octavo quoq; die ad creandos magistratus comitia habentur. Pari ratione sibi cavit Petrus Justinianus, dum sequentibus claudit eam, de qua agimus, historiam: *Cæterum non desunt, qui affirmant fuisse insignia illa* (Ducis Veneti, umbellam puta, argenteas tubas octo, totidemque diversi coloris vexilla,) *aliunde quæsita, victoriæq; hujus successum diversum ab eo, qui a nobis traditus est, enarrant: sed id Veneti Annales habent: confirmatq; hoc idem figuratio illa in comitiis totius rei gestæ. Nisi enim res eo modo, quo secuta, & a nobis relata est, veritatem contineret, non utiq; Prisci illi Veneti, modestia pleni, tam imprudenter eam Historiam in publicum referendam censuissent. Adde, quod ejusdem rei schema Senensi in urbe ducentesimo & amplius abhinc anno, figuratum apparet: id quod multi vidisse affirmant, in quis Matthæus Dandulus, & Aloysius Mocenicus, Viri Amplissimi, sunt, qui dum e Roma legatione functi, per Hetruriam iter facerent, rei gestæ seriem publico Senarum atrio depictam inspexere; & ad præsens hoc tempore quo hæc scribimus, Pius IV. Pontifex Maximus, Romæ in insigni aula a Josepho Salviati, pictore nobilissimo, excellenti opere repræsentandam curavit.* Sequitur deinde Elogium, quod supra repræsentavimus, & alia quædam, ac pergit postea Justinianus. *Sed id Externi Scriptores non ponunt, nec iidem propterea negant. Satis est, quod domestici annales asserant, referant, attestentur, quos sequi debeo, in his præsertim, quæ tam vero*

 simi-

similia sunt, ut nihil poßit esse, vel magis simile, vel rationi, fideiq; proximum.

Responsum est argumento, quod, ab hæsitantia Scriptorum nexuit Rupertus, examinemus jam huic proxime subjunctum enthymema, aut, si quo alio nomine appellandum est, infrequens cæteroquin ratiocinium, quod una sola, & ne ea quidem integra, constat propositione, nec infert conclusionem. *Quæ Historia,* inquit, *studiis Scriptorum stylo haud secus inter se, quam illi gladio decertantium, est corrupta.* Non addit alia, ad ipsam argumentationem facientia; nisi quod subjecit: *Quamobrem nihil inverecunde vel petulanter agimus, si famam illius ævi, quo scripsit Ouvo, prorsus non admittimus. Et hoc secundum nostrum argumentum est.* Quemadmodum autem Ruperti hoc argumentum mutilum, quivis facile ex ingenio expleverit; ita tamen non omnibus, illas ingentes, quas in hac historia cum se invicem lites intercedere Scriptoribus Vir Literatissimus innuit, simul animo illico recolere conceditur, atque usus erat, paulo verbosius cum Lectore suo ageret, ac dissidia proferret in apricum. Interim, nihil refragamur, & concedimus libentes, in circumstantiis hujus historiæ, hoc est, de loco ubi prælium inter Ottonem & Zanium commissum; de habitu vestium quo Alexander urbem Venetam ingressus; de regione ubi Fridericus agebat, cum nuncium infelicis cladis captique filii acciperet; de temporis mora quam uterque Venetiis exegit; aliisque ejusmodi, diversos diversa tradidisse. Verum, hæc, causæ, ut cum Plinio loquamur, jugulum non petunt, sed talum tantum, tibiam aut pedem. Et, an inveniri potest ulla in universum, ab aliis quam θεοπνεύστοις Scriptoribus in literas relata vetus historia, in qua, modo

do a pluribus prodita sit, non circumstantiarum quædam sese offerat varietas? Aut igitur omnis antiquarum rerum delenda memoria, aut accipiendi & mussitandi hercle sunt, isti cum ea nævi. Apposite ad nostram sententiam, quanquam in alio negotio scripsit Georgius Calixtus libro de Conjug. Cleric. pag. 345. *Si quid in circumstantia una vel altere varietur, imo etiamsi falsi nonnihil deprehendatur, propterea veritas ipsius facti non collabitur, nisi pari de causa magnam partem universæ historiæ, & præsertim Pontificiæ, quæ in enarrandis plerisque circumstantiis, ut patria, domo, annis, mensibus, diebus Paparum, nulla alia sub sole incertior, eversum eamus.* Potest etiam ad singulas narrationes haud incommode pertrahi, quod de integris Historiarum libris, non eleganter minus, quam probe monet ὁ πάνυ Vossius de Arte Histor. cap. 9. *Quæcunque de Historicis diximus, ita accipi debent, ut eos etiam homines esse cogitemus; nec statim respuamus, si uspiam aliquid se immisceat falsi. Nam, ut pauxillum aquæ marinæ, non dico Eridanum, aut Rhenum, sed ne fluentum quidem, salsum efficere potest: ita nec historia mendax dici debet, cui fabulosi aliquid irrepserit. Imo, nec fieri potest, ut non interdum, fallamur in iis, quæ longissime a memoria nostra sunt remota, præsertim in exterarum gentium rebus.*
Ultimi argumenti vis, quo suam munivit sententiã Rupertus, *in silentio insignium aliquot monumentorum & Scriptorum* sita est. Nempe: *Dicere Sigonium, se, quæ post Imperatoris ingressum in Venetorum urbe gesta sunt, omnia referre ita, prout Alexander ipse literis mandarit. At, in ea narratione nihil esse de calcato collo, nihil de Psalmographi verbis. Scribere Baronium, tacere de hac re testes in Bibliotheca Vaticana αὐτόπτας, Auctorem Actorum MSS. Alexandri; ut & Romualdum Archiepiscopum Salernitanum, Longobardico charactere exaratum.* Enim vero, quia Celsus JCtus in l. 24. D. de Legibus, *Incivile esse* pronunciat, *nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere*: nolumus magis turpiter nos dare, &, nulla eorum monumentorum quæ Si-

gonius ad manus se habuisse gloriatur, visâ parte, quicquam pronunciare: non tamen nos quisquam coget, ut iis solis plus tribuamus, quam aliis quæ ex adverso stant, sexcentis. Ad illa Baroniana autem quod attinet, non tantùm cum B. Gerhardo contra excipere conceditur, ab ipso Baronio proditum esse, *Acta illa MSS. non esse integra, sed truncata & fine carere*, ut proinde suppressio cervicis Imperatoriæ in illa parte potuerit esse annotata, quæ injuria temporis periit. Est enim hæc profecto egregia, nec temere nata conjectura, & ad eam refellendam ac absurditatis convincendam, plus afferendum erat unâ, (quam nos supra meliori jure retorquebamus,) sententiâ: *Non sufficit suspicari ubi de alterius fama agitur, decet scire.* Ostendisset Rupertus, fieri non posse, ut in ea parte qua Codex MS. deficit, illa, de calcatione Imperatorii colli mentio locum invenerit, & tum demum aliquid adversus Gerhardum profecisset. Quod, quia facere neglexit, aut ob libri defectum, nullatenus valuit, stat adhuc opposita conjectura, firmo, ut in re tali, pede, nec solo joculario dicto prosternitur. Sed vero, nos amplius, istis, a Baronio ex MSS. Codicibus adductis autoritatibus objicimus, Brusoni, quem supra loquentem introduximus, ore, *apocryphas illas & falsas esse*, autorumque antiquorum nomina mentiri. Si enim id vitii in iis a doctioribus non deprehensum fuisset, non credo hæc propalam disertissimis verbis enunciare audebat homo Italus, in media Italia, adversus Cardinalem insignem, omniumque judicio maximum. Neque dubitaverim, Sigonio æque ac Baronio, Fortunatum Olmum, qui recens est scriptor, & A.C. 1629. librum suum evulgavit, abunde satisfecisse, & ostendisse, quas merces venum exposuissent. Præter hæc urget Rupertus *Bartholomæi*

Platinæ, historia Pontificia, uti vocat, *Suetonii*, de calcato Friderico silentium: quod, cui bono fecerit, non liquet. Nam, apud Platinam nec de prælio inter Ottonem & Zanium, commisso, ulla mentio, quare necesse est, proprium vadimonium deserat Rupertus, & illam pugnam quoq; inficiari occipiat, si quid valet Platinæ in hac re autoritas. Enim, nos Platinam parū moramur, & longe minus adhuc, quem deinde allegat, *Gilbertum Genebrardum*, novissimum Scriptorem, & patrum nostrorum memoria, hoc est A. 1597. fato defunctum. Addit tandem Rupertus: *Ex Germanicis Scriptoribus qui ante annum 1450. vixerunt, & scripserunt, ne unum legere memini, qui hoc ad totius Germanicæ nationis ignominiam pertinens, notaret.* At, obsecramus vos, Boni Manes Ruperti nostri! Annon, quia factum hoc *ad totius Germanicæ nationis ignominiā pertinet,* ideo verisimile est á Scriptoribus Germanicis fuisse suppressum? Quid enim? nunquid non multis inesse poterat is animus, quo præditus fuit Rupertus vester, quatenus in media Henrici IV. & Gregorii VII. historia, ubi tamen nondum ad calcationem usque processum fuerat, hanc ei vocem expressit: *Nolo cætera, sunt enim prorsus indigna memoratu.* Quanquam, est in universum admodum debile & infirmum argumentum, quod ab humana autoritate negata ducitur, quicquid tandé tergiversetur Rupertus, nec nobis, itidem uti illi, Philosophorū nomine digni censentur, qui hanc argumentandi rationem admittere solent: *Aristoteles lib. VI. Ethicorum non recenset aliquem sextum habitum instrumentalem a reliquis distinctum; Ergo talis non datur*: inest enim illi quædam ἀναιδεία. Ex solis Scripturis, negative argumenta formamus in dogmaticis,

quia,

quia, ut nostra faciamus nota Augustini verba l. 2. de Doctr. Christ. cap. 9. *in iis quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi*: & illa Hieronymi, in cap. 23. Matth. *Quicquid in Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua asseritur.* Sed, extra dogmata sanctæ catholicæ fidei, nullius pretii est argumentum quod e loco testimoniorum per negationem infertur, ne ex Scripturis quidem formatū, & probamus ista Bellarmini ex l. 2. de Rom. Pont. cap. 8. *Nihil concluditur ex ar-argumentis ab autoritate negative. Non enim sequitur, Lucas, Paulus, Seneca, non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur Petrus non fuit Romæ. Non enim isti tres omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus, modo isti non negent, quod alii affirmant.* De reliquo, non negamus, habere interdum aliquod pondus argumentū quod a silentio Autorum petitur. Nimirum, illud ei conciliatur, si ostendi queat, per multa secula rem aliquam penitus fuisse ignoratam, nec nisi posterioribus Scriptoribus unice esse proditam; imprimis, si ex coævis rei de qua quæstio est monumentis, contraria fere eliciantur. Quomodo enim juniores scire possent in re historica, quod a majoribus non acceperunt, aut cui plane contradicunt? Utantur igitur porro licet Eruditi, ceu ante factum est, hac probatione, ad redarguendas narrationes, *de legibus Justinianeis per Lotharium reductis*; *de Institutione Electorum sub Ottone III. de æde Lauretana*, aliasque ejusmodi. Sed, de historia calcati Friderici alia res est, nam illa, etsi a Germanicis Scriptoribus tradita non fuit, prodidere tamen eam Itali, & inter hos, concedente id Ruperto, *Scriptor Friderici ævo proximus*, vel potius, si Sabellico credimus, temporum illorum omnino æqualis. Proinde, ruminemur citra nauseam, illud Petri Justiniani supra jam laudatum: *Sed, id externi*

Scri-

Scriptores non ponunt : nec iidem propterea negant. Satis eſt, quod domeſtici annales aſſerant, referant, atteſtentur.

Atque hæc ſunt, quæ Ruperti noſtri Argumentis obſtare videntur: Supereſt, ut Conjecturas quoque illius abſolvamus. Initio, *non dubitare ſe*, ait, *quin pictores Guelficæ factionis, fallacis iſtius famæ, de calcato Cæſaris collo, potiſſimi autores fuerint. Id olim ſe dixiſſe, & poſtea in literis ſibi acceſſiſſe Reineſium.* Sed, ſi Geulficæ factionis pictores, tam audaces erant, ut Imperatorem tanquam a Papa calcatum falſo repræſentarent, multum miramur, non repertos contra alios fuiſſe pictores Gibellinos, qui, ut remorderent adverſarios, Attilæ inſtitutum, quod ex Suida deinde narrat Rupertus, imitando, Imperatorem ſuis pedibus Papam calcantem exhibebant, imprimis quia citra mendacium & fraudem id facere licuiſſet, nam Imperator Alexandrum Papam Sede dejecerat. Niſi forte hanc unam rem Gibellini Guelfis concedebant, in cæteris ſemper contrarii. At enim, nihil odio, nihil amori, nihil lubidini pictorum in hac hiſtoria depingenda relictum fuit, verum, a mercenariam operam locantibus, juſſu (quod iterum dicendum eſt) & autoritaritate Jacobi Theupoli Ducis, Spectatiſſimorumque Almæ Venetæ Reipublicæ Patrum, ære publico hiſtoria efficta eſt, & fuit efficta, jamdum Anno a nato Chriſto MCCXXVIIII.. Ex quibus ſimul apparet, quantopere deceptus fuerit Rupertus, dum in Epiſtola ad Ampliſſimum Virum, *Georgium Richterum, JC.* & hujus Academiæ quondam Procancellarium graviſſimum, ſuſpicabatur, *Pictorem qui Ahenobarbi hiſtoriam in publico Senarum atrio, ante hos ducentos quinquaginta annos exhibuerat, primum inſpectam Matthæo Dandulo & Aloyſio Mocenico Legatis Venetis, ſimplices ita infatuaſſe, ut ingenii luſum tandem in veram hiſtori-*

 am con-

am converterent. Leguntur hæc in Richterianis Epiſtolis pag. 359. Verum enim vero, non cum pictore ex ingenio ludente, & quidvis parieti illinente, multo minus cum fatuis, nobis negotium intercedit; nec agitur de Senenſi pictura, quæ ſolorum ducentorum quinquaginta circiter annorum fert ætatem. Sacri Veneti Senatus fidem, religioſi veneratores compellamus: In picturam, quæ univerſis propemodum quingentis annis eſt vetuſtior, oculos mentemque defigimus.

Cum his, etſi ultro jam pereunt, reliquæ quoque Ruperti conjecturæ, ex Oriente usque petitæ, operæ tamen pretium eſt, ſeparatim quid de iis monere. Exiſtimavit Rupertus, *Bellos & feſtivos homines, picturam quandam Byzantinam qua explicaverat miſerabile fatum Abſimari & Leontii, conſpexiſſe, & tranſtuliſſe huc: Sic enim eſſe apud Siffridum in A.C. 689. Utrumq;* (Abſimarum & Leontium,) *cepit* (Juſtinianus Imperator) *& eorum corda calcavit, populo acclamante: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & ſic decollati ſunt.* Faciat alicui mirationem, in hiſtoria ad Juſtinianum II. Imperatorem, hoc eſt Seculum a Chriſto nato VII. attinente, haud alium teſtem produci, quam Siffridum, Miſnenſem presbyterum, qui, non niſi Alberti Auſtriaci Imperatoris vixit temporibus. Eſto tamen, vera ſcripſerit is Chronologus, an ideo ſtatim de miſerabili illo fato extabat pictura quædam Byzantina, pictoribus occidentalibus viſa? Adde, quod Zanius Princeps victor erat, qui ſuis, Venetæque urbis auſpiciis pugnaverat. Pontifici, nullæ in ea victoria partes, ſed tantum ei fuit SUA DIGNITAS VENETÆ REIPUBLICÆ BENEFICIO RESTITUTA. Zanio igitur, non Papæ, in iſta hiſtoria tribuiſſet pictor triumphalis, quam vult Rupertus, acclamationis formulam ex Pſalmographo, aut potius ipſam rem, ſi ludere cum hominibus volebat, & exemplar ex Byzantina tabula ad imitandum ſibi ſumere.

Novis

a lau-
t Ru-
ipro-
nunc
riore
nten-
DEM
UL-
dem,
ii Im-
uem
ctus.
itib.
n In-
non
Stra-
Lice-
qui-
om-
l Le-
n, &
au-
mus
pri-
ligi-
um-
imis
, sed
Me-
ate,

cile

Ad pag. 51.

HERACLII IMP. NUMMUS ÆREUS.





am c
pag.
Iude
tuis
pict
ann
giof
fis p
mer
Cun
con
est,f
Bell
expl
tran
(Ab
eoru
lifcu
nen
Secu
sten
qui
bus.
stati
zan
nius
spic
sed
RE
Zan
um
ex P
mir
tandum sibi sumere.

Novis.

Novissime, tam in observationibus Besoldianis, quam in laudata ad Nobilissimum *Richterum* Epistola, opinatus est Rupertus noster, facere aliquid ad sententiam suam comprobandam, Heraclii quendam Numum, sive potius, uti nunc vocare solent, Metallionem prægrandem, unde posteriore loco, *Sicut hodieq;, inquit, victorum imaginibus dicta & sententia circumscribi solent, ita pictor addidit* : SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULAVIT ET CONCULCAVIT LEONEM ET DRACONEM, *quæ eadem, sculptor quidam, adjecit imagini & currui triumphali Heraclii Imperatoris, sicut ex numis constat.* Cæterum, iste Heraclii, quem innuit, Numus, fertur in primis, & a multis est depictus. Sed, quidam, uti Casalius, lib. de veterib. sacr. Christ. ritib. cap. 100. & Præstantissimus Carolus Patinus noster, in Introduct. ad Rem Numariam quæ Gallice extat, p. 221. non dederunt cum plena inscriptione : Alii, uti Octavius Strada p. 270. Lipsius l. 3. de Cruce cap. 16. & Fortunius Licetus l. 6. de reconditis antiq. lucernis cap. 79. habent quidem omnia ejus verba, verum Numú justo minorem commonstrant. Ergo, non omnino nullam gratiam apud Lectorem nos inituros confidimus, si totam illius effigiem, & veram magnitudinem, hic repræsentamus. Facimus autem id perlibenter, quando Nobilis quoque & Integerrimus Vir, *Joh. Andreas Viatis*, Noribergensis Reipublicæ primarius Civis, & Amicus noster, quem singulariter & diligimus & colimus, ex egregio Museo, quod artium quarumcunque speciminibus, armis antiquis ac recentibus, Numis quoque pretiosissimis, non suo Penatumque tantum, sed universæ urbis ornamento, refertum possidet, ipsum Metallionis archetypum, pro insigni sua erga nos humanitate, in hos usus benigne communicavit. En, hic ille est:

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

Facile primo aſpectu quisque animadvertit, utriusque lateris inſcriptionem, ſubinde ab indocto ſignatore corruptam eſſe, in eaque reſtituenda, Rupertus ac Licetus laudabilem præſtiterunt diligentiam. Quæ Heraclii capiti circumſcripta ſunt, ſecundum Rupertum ſic vere legere oportet:

ΗΡΑΚΛΕΟΣ ΕΝ. ΧΩ. ΤΩ. ΘΕΩ. ΠΙΣ-
ΤΟΣ. ΒΑΣΙ. ΚΑΙ. ΑVΤΟ. ΡΩ. ΝΙΚΙΤΗΣ.
ΚΑΙ. ΝΟΜΟΘΕΤΗΣ. ΑΕΙ. ΑVΓΟΥΣΤΟΣ.

Sic oportet ſecundum eundem interpretari: *Heraclius in Chriſto DEO fidelis, Rex & Imperator Romanorũ, Victor & Legislator ſemper Auguſtus.* Paulo aliter circa hæc verba verſatur Licetus, nam, & aliunde legendi facit initium, & quædam verba paulo aliter accipit, imo, id, quod retro, ad collum Heraclii ſcriptum eſt, circa quæ interpretanda Ruperto aqua hæſerat, & quæ plane neglexit, cum cæteris conjungit. Quare, ſi hunc ſequamur, ſequenti modo lectio & interpretatio inſtituenda fuerit:

* αὐτοκράτωρ.

* νίκης

ΒΑCΙΛΕVC. ΚΑΙ. ΑVΤΟΚΡΑΤΟΡ. *
ΡΩΜΗC. ΝΙΚΙΤΗC. ΚΑΙ. ΛΟΓΟΘΕΤΗΣ.
ΑΕΙ. ΑVΓΟΥCΤΟC. ΕΝ. Χῶ. Τῷ. ΘΕῷ.
ΠΙCΤΟC. ΑΠΟ. ΝΙΚΙC. * *Rex & Imperator Romæ Victor & Logotheta ſemper Auguſtus Heraclius in Chriſto Deo fidelis, poſt victoriã.*

Adolphus Occo, Medicus Auguſtanus, librum ſuum Numiſmatũ Imperatoriorum, a Pompejo Magno ad Heraclium usque continuatorum, cum iſta inſcriptione (alia enim hujus Metallionis apud eum non viſuntur) claudens, legit:

ΒΑCΙ ΚΑΙ ΑVΤΟ ΡΩ ΝΙΚΙΤΗC ΚΑΙ

ΝΟΜΟ-

ΝΟΜΟΘΕΤΗϹ ΑΕΙ ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ ΕΝ ΧΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙϹΤΟϹ. Conveniunt cætera penitus inter ſe Rupertus & Occo, niſi quod de primordiis lectionis diſcrmen intercedit, quod leve eſt, & parum refert, utro modo incipias. Potius tamen cum Ruperto facimus, quia ſic τὸ *ſemper Auguſtus* poſtremum locum occupat, quod fere ſubjici ſolet nominibus propriis Imperatorum ſequioris ævi, non præmitti. Malumus quoque ΡΩΜΑΙΩΝ & ΝΟΜΟΘΕΤΗϹ cum Ruperto & Occone legendum arbitrari, quam ΡΟΜΗϹ & ΔΟΓΟΘΕΤΗϹ cum Liceto, nec probamus illud ΑΠΟ ΝΙΚΗϹ ſive ſuperioribus, ad quæ neutiquam pertinet, junctum, ſive ab iis ſeparatum. Etſi enim difficilis hic in Nummo evadit lectio, & ipſe Rupertus ſenſum ſcriptionis aſſequi deſperavit, tamen ΝΙΚΗϹ non ſatis quadrat, & de alia voce cogitandum, quæ magis ad notas in Numo expreſſas, accedit. Sane quidem, ΑΠΟ ibi haberi, minime dubium eſt, ſequitur deinde, perſpicue Α quod excipit Ι, extremas vero literas Ι & Ϲ eſſe, itidem certum videtur. At, difficultatem parit, quod, cum cæteroquin ſingula vocabula punctis ſolicite in iſto numo diſcriminentur, hic quidem, ita conjungantur omnia, quaſi unum ſolum verbum conſtituant; tum vero, elementum quod quintum numero eſt, quale ſit, non clare ſe manifeſtat. Referunt melius, præ Liceti ſententia, quod in Numo ſculptum habetur Lipſii & Stradæ expreſſiones, quorum ille ΑΠΟΛΙΝΙϹ hic ΑΠΟΑΙΜΙϹ, legerunt. Sed, eæ voces, cum, ſic exaratæ, ſenſu careant, niſi diſtinctione & emendatione juventur, evadunt inutiles. Velle-

 mus

mus igitur, hoc Eruditiores nobis præſtarent; ab iis autem, quia hactenus deſerimur, quoad ipſi officium facient, & meliora docebunt, noſtram tantiſper nobis proponere conjecturam venia eſto, qua ΑΠΟ ΛΥΠΗΣ, aut ΑΠΟ ΛΥΜΗΣ vel ΑΠΟ ΛΗΜΜΗΣ explicationem faciendam eſſe cenſemus, quæ, Latine fuerint: POST MOERÖREM. POST CALAMITATEM. POST OCULORUM CALIGINEM. Quodcunque ex his accipias, neque a Numi characteribus nimium diſcrepans lectio, aut valde abſurdus ſenſus oriuntur. Nam, litera I, ſæpe pro Υ aut H in antiquis monumentis, & alibi in hoc ipſo numo ponitur, tum vero elementorum N.M. & Π magna eſt in hoc Numo ſimilitudo, ita ut fere a ſe invicem diſtingui nequeant. Quadrat autem cum una quaq; iſtarum explicationum, illud, e regione poſitum: ILLUMINA VULTUN (*vultum*) TUUM DEUS, quod fortaſſe cum altero habet connexionem, ut quaſi petat Heraclius, *poſt mœrorem*, aut, *poſt calamitatem*, vel, *poſt oculorum caliginem*, *Deus vultum ſuum illuminare dignetur.* Commendat ſe tamen præ cæteris poſtrema hariolatio, tum quia proxime literas in numo ſequitur, tum quia ei, totique, quatenus reliquis conjungitur interpretationi, favens aliquantilla ratione dictum, apud S. Chryſoſtomum homil. 11. ad Pop. Antioch. legiſſe recordamur, in hæc verba: Μὴ τοίνυν εἴπῃς μοι τὰ δάκρυα καὶ τὰς λήμας, τοῦτο γὰρ διὰ τὴν σὴν ἁμαρτίαν γέγονεν. Ut vero, ad reliqua in Numo progrediamur, perſpicuum eſt, Lunæ imagini, quæ ſubter Heraclii vultum conſpicitur, inſcribi: SUPER TENEBAS (*Tenebras*) NOSTRAS MILITABOR IN GENTIBUS

TIBUS

TIBUS: ut eapropter, suum magis Genium, quam Numi imaginem sequuti videantur, Casalius & Licetus, dum pro MILITABOR, ipsi, MILITABIT sculpi jusserunt: quod idem alii fecere, MILITABO incidentes, ceu factum esse, a Liceto proditur. Estque sine dubio, omnis ista lectionum varietas, & Numi, modo parva, modo magna repræsentatio, non, quo Licetus inclinat, ex ipsa Numi diversitate, atq; alia & alia figura, sed, quia eum exhibere volentes, hunc finxerunt, & interpolarunt ex arbitrio; quorum pleriq; non ipsum Numum, sed ejus figuram aliquam ectypam ad manus habebant; nonnunquam a glyptis quoq; est peccatum. Quantum ad aversam Numi partem attinet, ibi extremam oram palam ambiunt verba: SUPER ASPIDEM ET BAXSILISCUM (*Basiliscũ*) AMBULAVIT ET CONCULCAVIT LEONEM ET DRACONEM. Quæ in medio intuemur verba, rursus legentibus negotium facessunt, & mirificam eorum interpretationem nobis dedit Licetus, quam integram juvat adscribere: *Epigraphe*, inquit, *Graca, male sculpta legitur in Plantiniano, Cardontanoq; Codice, nec absolute bene in Romano: scribentibus illis:* ΧΟΙΑ. ΕΝ. ΥΨΙCΤΙC. ΧΨ ΙΟΟΨ. ΟΤΙ. ΧΙΕΡΡΙΞΕ. CΙΧΙΡΑC. ΠΙΛΑC. ΚΑΙ. ΕΛΕVΟCΡΨCΕ. ✠ ΑΠΑΝ. ΒΑCΙ. ΗΡΑΚΛΕ. *Quæ sic legi debent, in Romano & Casalii Codice bene posita:* ΔΟΞΑ. ΕΝ. ΥΨΙCΤΟΙC. ΧΡΙCΤ φ. Τ φ. ΘΕ φ. ΟΤΙ. ΔΙΕΡΡΙΞΕ. *CΙΔΗΡΑC. ΠΙΛΑC. *ΚΑΙ. ΗΛΕΥΘΕΡΩCΕ. ✠ ΑΠΑΝΤΑC. ΒΑCΙΛΕΥC. ΗΡΑΚΛΕΙΟC. *Quæ sic Latine vertas:* GLORIA. IN. EXCELSIS. CHRISTO. DEO. QUIA. FREGIT. FERREAS. POR-

* διέρρηξε

* πύλας

PORTAS. ET. LIBERAVIT. OMNES. (*Patres nimirum Sanctos, ab exordio mundi ad mortem Christi detentos in carcere tartareo. Hic terminatur oratio Divinæ laudis. Duæ postremæ notæ græcanicæ, sunt initium historiæ Latinis Literis expressæ: ut sensus sit:*) REX HERACLIUS (*de quo statim ponitur Epigraphe Latina*) SUPER. ASPIDEM. ET. BASILISCUM. AMBULAVIT ET. CONCULCAVIT. LEONEM. ET. DRACONEM. *Quia prælio subegit Persarum Regem Cosdroa cum immani ac feroci exercitu suo; recuperans ab eo sanctam Domini crucem, quam ille prius abstulerat ab Hierusalem, & Heraclius reportavit ad pristinum locum Hierosolymitanum: vel etiam universam nummi inscriptionem ad subditos Heraclii referre possumus, qui Deum orent pro conservatione sua, & glorificent Deum, ac laudent Imperatorem.* POST VICTORIAM *de Persis habitam*: ILLUMINA VULTUM TUUM DEUS SUPER TENEBRAS NOSTRAS: *quia Princeps est vultus Dei, cujus vicem gerit in terris, & populi, respectu Principis, tenebræ sunt, super quas lucere debet virtus ejus a Deo illuminata: & semper iterum victrici pugna* MILITABIT IN GENTIBUS REX ET IMPERATOR ROMÆ VICTOR ET LOGOTHETA SEMPER AUGUSTUS HERACLIUS IN CHRISTO DEO FIDELIS, SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULAVIT ET CONCULCAVIT LEOMEM ET DRACONEM *superato Cosdroa Persarum Rege cum toto exercitu suo feroci ac immani*: GLORIA IN EXCELSIS CHRISTO DEO QUIA FREGIT FERREAS PORTAS ET LIBERAVIT CRUCE UNIVERSUM, *genus humanum a servitute diaboli*: & FREGIT *armatos ferro milites* Persas, ET LIBERAVIT CRUCEM ET OMNES *fideles a captivitate Cosdroæ*, REX HERACLIUS. Non patitur temporis, aut instituti nostri ratio, de istis singulatim disquirere, nam, quæ dicenda essent, paucis absolvi non possunt. Prodit vero se ultro quam misere multa tor-

ta torqueat Licetus, alia arcessat longiusculе, quæ, nescimus an aliis, nobis certe nec probantur, nec placent. Melius utique Rupertus noster se hic gessit, cujus ista verborum Græcanicorum restitutio est, & interpretatio: ΔΟΞΑ ΕΝ ΥΨΙΣΤΟΙΣ ΧΩ ΤΩ ΘΕΩ ΟΤΙ ΔΙΕΡΡΗΞΕ ΣΙΔΗΡΑΣ ΠΥΛΑΣ ΚΑΙ ΗΛΕΥΘΕΡΩΣΕ ΤΗΝ ΑΓΙΑΝ ΒΑΣΙ. ΗΡΑΚΛΕ. *Gloria in altissimis Christo DEO* (omissa hic a typographo est fortasse vox, *quia*, aut alia similis) *disrupit ferreos postes, & liberavit sanctũ regnum Heraclii.* Quanquam, si, quod mente volvimus, dicendũ est, etsi in his nihil contortum, & sensus ex facili fluit, dubitare tamen quisquã, citra contumeliam Viri, posset, an etiam Rupertus ubique acu, quod ajunt, rem tetigerit. Est enim in Numo inter media Græcanica verba, crucis profecto signum expressum perspicue, quod ΤΗΝ articulum tantum valere, prout Rupertus existimavit, forsitan non omnes sentient. Scilicet, curru triumphali vehens, crucem manu gestat Heraclius, quare ad hanc rem, si quid nos judicare possumus, omnino pertinet inscriptio, nec de nihilo est illud crucis signum inibi expressum. Audebimus igitur, nostram quoque conjecturam, æquo Lectori dijudicandam relinquere, ejusq; vel applausum, vel aliam saniorem explicationem provocare. Nos quidem, verba legimus plene hunc in modum: ΔΟΞΑ ΕΝ ΥΨΙCΤΟΙC ΧΡΙCΤΩ ΤΩ ΘΕΩ ΟΤΙ ΔΙΕΡΡΗΞΕ CΙΔΗΡΑC ΠΥΛΑC ΚΑΙ ΗΛΕΥΘΕΡΩCΕ CΤΑΥΡΟΝ ΑΓΙΟΝ ΒΑCΙΛΕΥC ΗΡΑ-

ΚΑΕΙΟϹ. Quæ interpretamur: GLORIA IN ALTISSIMIS DEO: QUONIAM PERRUPIT FERREAS PORTAS ET LIBERAVIT CRUCEM SANCTAM REX HERACLIUS. Si quis ferat nos, ΑΓΙΟΝ pro ΑΓΙΑΝ legentes, idquod facile, (tum ob alia in Numo similiter corrupta, aut, quia sequioris generis latinam vocem CRUX, magis quam Græcum ϹΤΑΥΡΟϹ in animum revocare debet signum expressum,) nos impetraturos confidimus, jam cætera extra reprehensionis periculum esse constituta videntur, maxime, quia cum nostra interpretatione, egregie concordant eventus rerum, ad quos Numus omnino alludit. Etenim, ceu pluribus est apud Cedrenum, & Zonaram, unde hæc exscribimus: Chosroës Rex Persarum, cum ingenti exercitu invaserat Palæstinam, multisq; Christianorum millibus occisis, expugnata Hierosolymitana urbe, præter reliquam prædam, & captivorum multitudinem, Zachariam quoque Patriarcham, & sacram Domini Crucem, secum absportaverit. Tum Heraclius, facta cum Avaribus pace, copias ex Europa in Asiam transfert, & trajecto Euxino mari, Armeniam intrat, inde, in Persidem interiorem pervadit, mox, victor, summa cum difficultate Taurum montem superat, ad Tigrim fluvium castra locat, nec multo post, contra omnium opinionem, Euphratem vado transit. Atque, hæ sunt ferreæ illæ portæ, quas Heraclius Divino adjutus præsidio, perrupisse dicitur. Gessit autem res adversus Persas satis prospere, & tandem, postquam Chosroës Rex, a filio Siroë trucidatus fuerat, post expeditionem sexennalem, cum hoc pacem fecit, captivos, & inter hos, Zachariam quoque Patriarcham, una cum sanctæ Crucis venerabili ligno, unice desiderato, recepit, atque sic ovans in ditionem reversus, ac

publi-

publicis gratulationibus, a ſubditis, qui frondes oleaginas & faces in occurſum ferebant, exceptus eſt. Hanc hiſtoriam, & præcipue illum lætum, Heraclii cum cruce Dominica, inter faces & accenſas lampades in urbem Conſtantinopolitanam triumphalem ingreſſum, certo certius figurat Numus iſte, proindeque ad eum omnis accommodanda eſt verborum quæ inſcribuntur, conceptio. Præſtat id noſtra interpretatio quam dedimus, & ſunt illa, SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULAVIT ET CONCULCAVIT LEONEM ET DRACONEM, voces acclamantis populi, cujus imagines Numus non capiebat.

De Numi explicatione dictum abunde eſt, idque ſtudium, quod in ea eruenda inſumpſimus, facile arguit, non ſpernere nos penitus hoc νόμισμα, ſed habere aliquo in pretio. At, quod Rupertus futurum ſperavit, neutiquam illud *ſtupemus*. Non enim probum, genuinum, & vetus, hoc arbitramur, ſed notæ adulterinæ, recens, & ſuppoſititium. Ut ideo, nihil commodi aut lucis exinde accedat picturæ & controverſiæ, de calcato aut non calcato Friderico Cæſare, cum omni iſta pictura longe ſit recentius: Imo, ut fieri potuerit, ex illa hiſtoria calcati Friderici, natam hanc Metallionis eſſe inſcriptionem. Neque vitio nobis verti debet, quod a Magnis Viris, Lipſio, Caſalio, Liceto, Occone, Ruperto, aliisq;, qui hunc Numum maximi fecerunt, hic diſcedimus, & fidem iſtius Monetæ ſolicitando, ex veterum numero eam expungimus, nam, idem, jam ante nos facere inſtituit, optimus Rei veteris Numariæ ἀργυρογνώμων & eximius Vir, *Carolus Patinus*, in libello ſupra jam laudato. Ubi, ante quam Heraclii iſtum Metallionem utcunque depictum repræſentaſſet, prius præmittit: *I' auois quelque desſein de fournir au Lecteur des repreſentations de toutes les Medailles contrefaites qui eſtoient*

venües a ma connoisſance, afin qu'il put connoitre celles qu'on conſerve ordinairement dans les Cabinets, & qu'il ne les confondit pas auec les veritables: mais je n'ay pas voulu leur faire plus d' honneur qu'aux Antiques, qui leur doiuent eſtre preferées, dont je n'ay allegué qu'un exemple a chaque Chapitre. Ainſi reſeruant cette entreprise a quelque autre Ouurage, j'en cotteray ſeulement vne contrefaite, qui eſt ſans doute plus conſiderable que toutes les autres: la grandeur du ſujet qu'elle decrit dans vn ſiecle barbare, la diuerſité des idiomes qui en forment l' inſcription, & la maniere dont tout y eſt exprimé, en feront ſuffiſamment connoiſtre la fauſſeté, ſans que j'aye beſoin de la prouuer plus preciſement. Id eſt: *Erat mihi quodammodo propoſitum, exhibere Lectori repræſentationes omnium Numorum adulterinorum, qui in meam pervenere notitiam, ut ita eos, qui vulgo in Muſeis aſſervari ſolent, cognoſcere poſſet, nec falſos cum veris confunderet. Sed vero, nolui eos majore honore afficere quam Antiquos, qui illis ſunt præferendi, & ex quibus, ſingulos tantum, ſingulis adjunxi Capitibus. Itaq; conatum hunc alii reſervans libro, in præſentia unum tantum nothum depingam, qui eſt ſine dubio reliquis omnibus anteferendus. Dignitas rei quam deſcribit in Seculo barbaro, idiomatum, quæ inſcriptionem formant, diverſitas, & modus, quo omnia exprimuntur, ſatis falſitatem cognoſcendam dabunt, ſine quam ut opus habeam eam probare exactius.* Sunt hæ Patini rationes, ejus generis, ut aſſenſum facile mereantur, non tamen ægre feret Amicus, ſi, citra quam ut illius argumentis quicquam deteramus, ea quæ nobis deprehenſa ſunt νοθείας in hoc Metallione indicia, inſuper producimus. Principio, illud ΑΕΙ ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ SEMPER AUGUSTUS cuiquam non injuria ſuſpectum videri queat, atque cum Inſignis Vir, & quo Germania noſtra magnifice ſeſe effert, *Hermannus Conringius* in Notis ad Lampad. p. 100. teſtetur, *Semper Auguſti appellationem, in nullo ſibi Numo viſam*, multo minus fortaſſe in Græcanicis antiquis Numis ΑΕΙ ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ

legas

legas. Imo, ipſum nomen ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ Græci infrequenter admodú in Numis adhibuerunt, qui ΣΕΒΑΣΤΟΣ pro eo dicere amabant, atq; Octavianus adeo Cæſar, plerunque in Numis Græcis, poſteriore hoc, non priore inſignitur cognomine. Extant tamen Numi ejus, in quibus ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ quoque habetur, ſed, poſt ipſum, vix amplius, aut ſaltem rariſſime, comparet id nomen, & fere ſemper ΣΕΒΑΣΤΟΙ, Cæſares, Auguſtæ, ΣΕΒΑΣΤΑΙ audiunt, ad Trajanum usque, in cujus Numis ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ iterum adbihitum, ejusque uſus deinde paulo amplius invaluit. Quia vero PERPETUO AUGUSTUS eſt in Numis Zenonis, Anaſtaſii, Phocæ, ipſiusque Heraclii, & ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ in Græcis quoque Numis uſurpatum, non poteſt damnari plane illud ΑΕΙ ΑΥΓΟΥΣΤΟϹ, ſed videri pro PERPETUO AUGUSTUS poſitum, etſi pro hoc plurimum ΑΕΙ ϹΕΒΑϹΤΟϹ vel uno verbo ΑΕΙϹΕΒΑϹΤΟϹ Græci dicere ſolebant, quod immortalis famæ Boeclerus quoque noſter, in Notit. Imp. p. 43. annotavit. Quamobrem, miſſis his, ad alia properandum, & Heraclii veſtes, quibus amictus incedit, paululum excutiendæ nobis veniunt, quæ, ſi recte proſpiciunt oculi, ſacrorum ſchema habent. Et tales ſunt, imprimis eæ, quibus in curru ſedens Heraclius induitur, geſtat enim, quod vulgi voce dicitur, Pluviale, cujus uſus quondá Epiſcopis in ſupplicationibus & veſpertinis precibus. At, ſi veros Heraclii Numos, aliorumque Conſtantinopolitanorum Imperatorum, & vel eos, quos Cardinalis *Baronius*, in Annalibus A. C. 627. n. 29. *Lipſius*, lib. de Cruce c. 16. *Patinus*, in Opere de Numiſmat. Imperat. Ro-

man. p. 499. & ille elegantioris literaturæ Arbiter, Musarum delicium, Italiæ decus, Summus Vir, *Octavius Ferrarius*, qui nos, quod publice jactamus, amat, in Analect. de Re Vestiar. ad c. 17. dederunt, quis respiciat, longe alia vestium forma sese offert, & magis conveniens illi ævo. Possent vero multa, adversus illas Heraclii vestes, ex laudati Ferrarii de Re Vestiaria Commentariis, insuper afferri, sed, quæ apud illú legi debent, vel potius, nemini non, cui humanior eruditio curæ cordique est, pridem lecta sunt ac perspecta: itaque digitum huc intendisse sufficit. Jam porro, ipsa quoque Heraclii Corona, non talis est, quali Imperatores prisci ornari solebant, aut cujus imago alibi facile, in Numis se nobis offert, sed, quam a Romanorum Pontificum corona, quæ Regnum dicitur, formam credas esse mutuatam. Unde, aut valde fallimur, aut remota Numi inscriptione, omnes, illius effigiem qui currui insidet, Romanum Papam interpretarentur, nemo unus Romanum aliquem Imperatorem. In veris Heraclii Numis, caput illius Imperatoris vel diademate sive vinculo vincitur, prout spectare licet in iis quos Baronius exhibuit, vel habet coronam, similem aliorum Constantinopolitanorum Imperatorum, atq; hæc apud Lipsium & Patinum, locis indicatis, spectatur. Est de Heraclii Corona memorabilis locus apud Cedrenum, quem sic vertit Interpres: *Post Heraclium, filius ipsius Constantinus, Imperium gessit per menses IV. Corpore fuit languido, quotidie propemodum ægrotans. Is a quibusdam admonitus, coronam qua regno inauguratus fuerat, cum patre esse sepultam: Callinico cubiculario mandat, ut eam sibi afferat. Abit ille, & sepulchro recluso, cadaver Heraclii aquæ instar dissipatum reperit, coronamq; capiti adhærescentem. Eam, cum crinibus revellit mæstus atq; lamentans, & Constantino adfert.*

Is sol-

is solvi ac æstimari jubet coronam, & æstimata est libris LXX. Sequitur deinde, paucis interjectis: *Imperium deinde Heracleonas cum matre Martina tenuit menses VI. Is, ad templum S. Sophiæ protulit coronam, quam Constantinus ex sepulchro patris abstulerat.* Quæ postrema, nescimus, quomodo cum superioribus concordent, nisi Constantinus, ex soluta Heraclii patris corona, aliam rursus conflari fecit, atque sic Heracleonas, eandem potius coronæ materiam, quæ ex Heraclii tumba ablata fuerat, templo Sophiæ intulit, quam coronam. Inest aliquod momentum, istis, quæ diximus, ad suspectum nobis reddendum Heraclii Metallionem, sed, ut omnis de ejus suppositione dubitandi præcludatur occasio, faciunt literæ Lombardicæ quarum figuræ in utraque Numi pagina, aliis majoribus immiscentur. Lombardicas enim literas vere & perspicue in verbis, DEUS, &, ASPIDEM, Numus agnoscit, easque, Lipsius pariter, in suo typo dedit expressas. Quis vero tam rerum omnium ignarus est, ut nesciat Lombardicum characterem a Constantinopolitano Imperatore, & quidem in Numo, VII. post Christum natum Seculo, non potuisse adhiberi? Est quoque illa literarum O & Y in unam figuram, quam vox AYΓOYCTOC habet, contractio, posteriorum inventum, nec habet exemplum in Numis & Codicibus antiquis. Tandem, vel sola villosa, crassa, & promissa illa Heraclii barba, quam utraq; manu in adversa Numi parte demulcet, omnium clarissime monetæ istius falsitatem manifestat. Caruit enim barba, saltem magna, Heraclius, eumque aut imberbem, aut genas non admodum hirsutum hispidumque, non tandem veri, ad quos toties provocavimus, Numi, apud Baronium, Lipsium, & Patinum, ostendunt, sed talem omnino, more cæterorum Imperatorum Constantinopolitanorum ipsum fuisse, Cedrenus testis est, qui signanter: Οὗτος ὁ Ἡράκλειος ἦν

τὴν ἡλι-

τὴν ἡλικίαν μεσῆλιξ, εὐσθενὴς, εὔστερνος, εὐόφθαλμος, ὀλίγον ὑπόγλαυκος, ξανθὸς τὸν τρίχα, λευκὸς τὴν χροιὰν, ἔχων τὸν πώγωνα πλατὴν καὶ πρὸς μῆκος ἐκκρεμῆ· ὁπηνίκα δὲ πρὸς τὸ τῆς βασιλείας ἦλθεν ἀξίωμα, εὐθέως ἐκείρατο τὴν κόμην, καὶ τὸ γένειον, τῷ βασιλικῷ σχήματι. *Fuit Heraclius ſtatura mediocri, robuſtus, firmo pectore, oculis elegantibus, ac nonnihil cæſiis, fulvo crine, albus, barba lata atq; prolixa. Sed Imperator factus, extemplo comam totondit, ac mentum raſit, qui eſt Imperatorum habitus.* Non igitur ipſe Heraclius, ſed Planus aliquis, ſumta occaſione ex Heraclii hiſtoria, iſtum Numum recenti ævo procudit, & ſpeciem quandam vetuſtatis, quædam fortaſſe data opera corrumpendo, ei conciliare ſtuduit. Hoc nos ſchema, ne porro aliis imponat, ſic detraximus, ſimul & hiſtoriam, de vere calcato Friderico Barbaroſſa, contra Doctiſſimum Rupertum noſtrum aſſeruimus. Factum id tamen, ſine quam ut verbulo unico illius exiſtimationem læderemus, eam enim ſemper venerabimur, prorſus uti tanti Viri caris cineribus & favillæ, quoties ſepulchrum ejus præterire contingit, optare ſemper ſolemus:

— tenuem, & ſine pondere terram,
Spiranteisq; crocos, & in urna perpetuum ver.

XVI.

Ex longo, non injucundo tamen diverticulo, tandem auſpice Mercurio Laribusque, redeundum eſt in viam, atque gradus ad HENRICUM VI. Friderici Barbaroſſæ filium, affectandus, qui uxorem habuit *Conſtantiam, Rogerii* Siculi filiam, ex monaſterio eductam, quæ, ad eum Siciliæ Regnum attulit, & jam quinquagenaria filium enixa eſt *Fridericum*, Panormi, in publico theatro, ne ſuppoſitius eſſe cenſeretur. Italiam ingreſſus, atque a *Cæleſtino III.* Papa coronatus, *Apulos* & *Campanos* rebelles graviter mulctavit, *Hetruriæ* vero, *Philippum* fratrem Præfectum dedit. Cumq; Siculi, *Tancredum*, Rogerii filium nothum, pro Rege habere

cœpis-

cœpissent, in illum & complices multa crudeliter Henricus statuit. Ex eo tempore Siciliæ Regnum penes *Normannos* esse desiit, & transiit ad *Suevos*. Postea, Pontificis hortatu, Patrisque exemplo, expeditionem in Asiam contra Saracenos Henricus instituit, bellumque per Legatos gessit satis feliciter. Hunc prosperum rerum cursum mors illius sufflaminavit, dum enim in Sicilia classi instruendæ operam dat, in febrem ardentem ex potu venenato incidit, quem ei uxor, quam adulteriis, & sævitia in Normannos exacerbaverat, propinavit. Ex ea re mortuus est A. 1197. & sepultus Panormi, postquam 7. annis imperium administraverat.

XVII.

Mortuo Henrico, a majori parte Procerum Germaniæ PHILIPPUS frater ejus, Imperator renunciatur, cui offensus *Innocentius III.* Papa, primum *Bertoldum* Zaringiæ Ducem, atque hoc ultro cedente, *Ottonem* deinde, Henrici Leonis filium, æmulos & adversarios concitavit. Fuit vero inter Philippum & Ottonem grave ac diuturnum bellum, quod post multam sanguinis effusionem, tandem ita compositum est, ut Otto, *Beatricem*, Philippi filiam uxorem acciperet, a titulo & re Imperii quamdiu Socer superstes foret, abstineret, post mortem vero succederet. Pace parta, non diu supervixit Philippus, sed inter magna molimina, Bambergæ nefarie occisus est in cubiculo, ab *Ottone Wittelsbachio* Comite Palatino, quod Imperator, filiam *Kunigundem*, quam Ottoni pollicitus fuerat, ob cædem ab eo patratam, in thalamum dare abnuebat. Factum id A. C. 1208. Conjugem habuit Philippus, *Irenen*, *Isaaci Angeli* Imperatoris Græci filiam.

XVIII.

Igitur post Philippum, OTTO IV. regnavit ex pacto, qui, *Ottonem Wittelsbachium* ob parricidium, ejusque conscium

Marchionem Histriæ proscripsit. Cum autem nonnulla in Apulia, & alibi in Italia, Imperio Otto vindicare vellet, *Innocentium* Pontificem hoc conatu magnopere offendit, se vero in summas conjecit angustias. Siquidem a Pontifice excommunicatus, nec a Proceribus Germaniæ, (qui plus Papæ quam Ottoni favebant, & *Fridericum* Henrici VI. filium, Siciliæ Regem, adversus eum jam elegerant) pro Imperatore ultra agnitus est. Etsi vero Otto variorum Principum auxilia contra Fridericum impetraverat, Angli nimirum, Poloni, & aliorum: nihil tamen adversus illum, quippe Germaniæ Ordinum, & *Philippi* Galliæ Regis auxiliis suffultum, promovit; & tandem, prælio ad Bovinensem pontem commisso, cum omnibus auxiliaribus copiis a Philippo Galliæ Rege cæsus est profligatusque. Post eam cladem, Brunsuigiam se contulit, & reliquum vitæ tempus, privatus in luctu & mœrore ad fatalem usque terminum (qui secundum accuratiores Chronologos in A. C. 1218. incidit) exegit. Cum *Maria*, Ducis Brabantiæ, & *Beatrice*, Philippi Imperatoris filia, vixit in conjugio, sed ἄτεκνος ex utraque.

XIX.

FRIDERICUS II. Henrici VI. filius, Friderici Ahenobarbi nepos, Siciliæ & Apuliæ Rex, contra Ottonē, insignia Imperii Germanici A. 1215. primum Aquisgrani, deinde A. 1519. Romæ ab *Honorio III.* accepit, fuitque Princeps animi juxta & corporis dotibus insignis, literatus præterea, & literatorum fautor eximius. Eam ob rem literas omni ratione promovere studuit, huncque in finem *Viennensem* Academiam in Austria, *Patavinam* in Italia instituit, Aristotelis quoque, Galeni, & Avicennæ monumenta, ut in Scholis publicis prælegerentur, ex Græco & Arabico in Latinam Linguam curavit transferri. Idem, quo pacem & concordiam in Imperio conservaret, aliquot *Authenticas* de rebus maximi momenti composuit, quæ Codici Justinianeo hodienum insertæ leguntur. Huic Friderico plurimum negotii *Honorius III. Gregorius IX.*

rius IX. & *Innocentius IV.* Pontifices crearunt, eumque indignissimis vexarunt modis. Cum enim expeditionem Hierosolymitanam, Imperii curis distentus, exhortationibus Pontificis neglectis, suscipere differret, excommunicatus est, nec prius anathemate solutus, quam profectionem instituit. Scilicet, hoc consilium erat Pontificum illorum temporum, ut Imperatoribus Germanicis, in longinquas orbis regiones, velut in exilium damnatis, & specie religionis omnes suas fortunas effundentibus, ipsi interim domi rebus suis studere possent, nemine id prohibente. Sed vero, trajicere in Palæstinam volentem Fridericum, Pontifex rursus inhibet, minime ex dignitate augusta instructam Classem esse objectans. Ille nihilominus insistit cœpto, & rem feliciter gerit, *Hierosolymam*, *Bethlehemum*, & *Nazaretham* recuperans. Dum Imperator peregre abest, *Gregorius* Pontifex *Apulos* ad defectionem solicitat. Sic ille domesticis rebus providere coactus, in Apuliam reversus, perfidos sternit & profligat, ac Pontificem ingenti pecunia placat. Victis dein *Lombardis*, domitis *Mediolanensibus*, *Sardiniam* quoque, ab antiquo Siculis Regibus subditam, vindicat, quam, cum Pontifex Ecclesiæ reddendam contenderet, nec morem gerere vellet Fridericus, eum diris devovit Papa, totum orbem adversus Fridericum solicitans, & omnibus sese illi opponentibus, liberationem ex purgatorio, & vitam æternam pollicens: unde magni tumultus inter *Guelfos* & *Gibellinos* passim in Italia exorti sunt. Imperator tamen prospera fortuna usus, omnes Pontificis molitiones elusit, eoque desperationis illum adegit, ut morbo ex dolore contracto extingueretur. Gregorio, (interjecto *Cælestino IV.* paucorum dierum Pontifice,) succedit *Innocentius IV.* & ipse Friderico infensissimus. Sic continuata bella, & inter hæc Christianus Orbis passim a Saracenis, Turcis, ac Tartaris fœde dilaceratus est. Innocentius, Italia pulsus, in Galliam profugit, ibique lectis novis Cardinalibus, & convocata Synodo Lugduni, Imperatorem excommunicat, præcipitque Germanicis Principibus, ut alium in locum substituant. Fridericus premi se animadvertens, offert conditionem Papæ, se, si in communionem fidelium recipiatur, perpetuum in Palæstina bellum gesturum, quam ille contemtim sprevit. Ergo compulsus Fridericus vim vi repellere, sicarios a Pontifice immissos, supplicio afficit, *Henricum*

Thuringiæ Landgrafium, *Clericorum Imperatorem* dictum, misso adversus eum *Conrado* filio vincit, thesauros a Papa, *Wilhelmo* Hollando submissos, intercipit. Tot igitur & tam variis fortunæ procellis jactatus Imperator, & ab amicis desertus, cum insidias sibi in Italia strui animadverteret, in Siciliam reverti constituit, sed in itinere, ex propinato veneno, ardentissima febre correptus, A. C. 1250. cum imperasset annos 38. vitam cum morte commutavit. Sunt, qui perhibent, cum medicorum opera spes esset recuperandæ valetudinis, a *Manfredo* filio notho, ex *Blanca* Marchionissa Montisferati, pellice, pulvino in os injecto suffocatum periisse. Conjuges habuit sex omnino: *Constantiam*, Arragoniæ Reginam. *Jolandam*, Johannis Brennæ Regis Hierosolymorum filiam. *Agnetem*, Ottonis Marchionis Meraniæ filiam. *Rutinam*, Ottonis Comitis Bavarici filiam. *Isabellam*, Ludovici Bavarici filiam. Denique *Mechtilden*, Johannis Angliæ Regis filiam.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

Vetus Judæorum Respublica, ad nullam quadrat earum Politiarum speciem, quas Aristoteles cognitas habuit.

II.

Judæi, si rem recte putemus, sunt omnium mortalium longe nobilissimi.

III.

Falsum est, Veteribus fuisse lampadas, perpetuo, citra novi liquoris affusionem, ardentes.

IV.

Germanica lingua, si unam Hebraicam excipias, cæteras omnes præstantia facile vincit.

V.

Justinianeæ Leges, neutiquam, ceu vulgo creditur, in Scholas jussu & autoritate Lotharii Imperatoris, sunt reductæ.

VI.

Aggratiandi, quod vocant, jus, minime Supremæ Potestati est adimendum.

VII.

Non semper potest conjux conjugem de adulterio accusare, neq; repudium ipsi mittere.

FINIS.